MASTER
NEGATIVE
92-80745-9

AUTHOR:
BOEHM, BENNO

TITLE:
DE CORNELII
LABEONIS
AETATE DISSERTATIO

PLACE:
REGIMONTI

DATE:
1913

Master Negative #

92-80745-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Boehm, Benno, 1891-
De Cornelii Labeonis aetate dissertatio ... quam ... scripsit Benno Boehm... Regimonti, Hartung, 1913.
81 p. 22 cm.

Thesis. Königsberg.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/19/92 INITIALS: NCY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202


Centimeter



Inches










IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN
SIGILLUM COLLEGII COLUMBIAE NOVI EBORACI

DE CORNELII LABEONIS AETATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BENNO BOEHM
ALLENSTEINENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
MCMXIII

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Prof. Dr. R. Wünsch.

RICARDO WUENSCH
SACRUM

Capitum conspectus

Caput primum

Quid de Labeonis aetate censeant viri docti.

Quonam saeculo Cornelius Labeo, quem de rebus Romanorum antiquis et theologicis libros edidisse scimus, vixerit, non constat, quoniam neque certa apud auctores testimonia neque lapidum inscriptiones certiores nos faciunt; ne libri quidem eius, quorum doctrina posteri fruebantur, integri servati sunt. Itaque viri docti, ut Labeonis aetatem terminarent, fragmentis etsi perpaucis perscrutandis operam navare cogebantur. Quod sententiae e fonte tam tenui derivatae valde inter se differebant, non miramur.

Qui primus, quantum quidem indagare potui, hanc quaestionem adiit, Jacobus de Vaasen[1]) propter ea, quae in Macrobii Saturnaliorum libro I 16, 29 leguntur, Cornelium Labeonem scripsisse ante legem Hortensiam anno a. Chr. n. 69/8 latam existimavit, quam Labeoni nondum notam fuisse e Macrobii[2])

1) Animadversionum historico-criticarum ad fastos Romanorum sacros fragmenta digessit C. Saxius Traj. 1785, p. 327.

2) Macrobius Sat. I 16, 29, postquam versibus praecedentibus varias scriptorum de nundinis sententias protulit, pergit hisce verbis: 'Cornelius etiam Labeo primo fastorum libro nundinis ferias esse pronuntiat. causam vero huius varietatis apud Granium Licinianum libro secundo diligens lector inveniet. ait enim nundinas Iovis ferias esse, siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Iovi arietem soleat immolare, sed lege Hortensia effectum, ut fastae essent, uti rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent . . . ergo qui

verbis eluceret. Contra Rudolfus Merkel[1]) recte demonstravit Macrobium non dicere 'ullos ex nominatis a se legem Hortensiam ignorasse, sed tueri se potuisse patrocinio vetustatis.' Merkelius autem ipse quoque causis non satis firmatis nisus Labeonem ante Verrium Flaccum fuisse suspicatus est. Secundo p. Chr. n. saeculo attribuit C. Otfried Mueller,[2]) cum Neoplatonici philosophi esse videretur, quod Labeo et Platonem inter numina rettulisset, id quod e fragmentis pateret, et nisi apud posteriorum temporum scriptores ut Macrobium Servium Lydum Fulgentium[3]) non laudaretur. Cum Muellero Gustavus Wolff[4]) consentit. Eadem de causa, id est quod Labeonis de daemonibus sententiae ad Neoplatonicorum philosophiam attinere videntur, Gustavus Kettner[5]) eum Apulei aetate viguisse putat; idem recte cognovit Arnobium rhetorem illum christianum, qui adversus gentes libros circa annum post Christum natum trecentesimum decimum edidit,[6]) Labeonis doctrinas et cognovisse et invehi in eas etsi nomine adversarii non allato. Qua re observata non modo terminus, ante quem Labeo vixit, datus erat, sed etiam eo certiores vitae terminos se invenisse Kettnerus sibi persuasit, quod tota e ratione, qua Arnobius Labeonis libros tractat, Arnobium ad librum

---

ferias dicunt a mendacio vindicantur patrocinio vetutatis, qui contra sentiunt, aestimatu aetatis, quae legem secuta est, vera depromunt.' De hoc loco infra in cap. III § 2 plura verba faciam.

1) Proleg. ad Ovid. fast. p. LXXVI sq.

2) Die Etrusker, neu bearbeitet von W. Deecke. Stuttgart 1877, vol. II p. 35.

3) Quorum verba infra in cap. II afferam.

4) Porphyrii de philosophia ex oraculis haurienda librorum reliqq. Berol. 1856, p. 51 sq.

5) Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur Quellenkritik des Arnobius. Progr. Pforta Naumburg 1877, p. 34.

6) Schanz, Geschichte der röm. Litt. III² p. 440.

quendam paulo ante editum spectare appareret. Qua ipsa re nos cogi Labeonem non secundo, ut Kettnerus volebat, sed tertio potius saeculo tribuere, cum Arnobius quarti demum saeculi initio fuisset, Iacobus Muelleneisen[1]) Augustum Reifferscheid[2]) secutus coniecit. Idem fragmentis Labeonis collectis hanc coniecturam firmare conatus est affirmando tales doctrinas, quales a Labeone in medium prolatae essent, et apud nullum scriptorem inveniri nisi apud eos, qui quarto saeculo fuissent, et brevi temporis spatio post non iam notas fuisse. Idem apparere ex ea re, quod nulla causa reperiri posset, cur Labeo non a prioribus Romanorum scriptoribus, sed solum ab eis laudaretur, qui aut quarto saeculo aut posterioribus temporibus libros composuissent. Tamen contra Kettneri opinionem, qua is Labeonem Neoplatonicorum sententiam de daemonibus prolatam secutum esse coniecerat, Muelleneisen se ne uno quidem loco apud eum similia eis, quae Platonici de daemonibus praecepissent, invenisse contendit. Eodem fere tempore quo Muelleneisen, sed multo sagacius et diligentius Labeonis fragmenta Guilelmus Kahl[3]) collegit Arnobio Macrobio Lydo Augustino comparatis; Kahlii commentatione nisi sunt eorum, qui post eum Labeonem attigerunt, plurimi accipientes illius sententias magis quam examinantes. Atque re vera is eo inprimis meruit, quod primus, quos Labeo fontes adhibuisset, indagare conatus est, unde Labeonem viros antiquorum temporum doctissimos et Graecorum et Romanorum secutum esse elucebat ut Platonem, Varronem, Nigi-

---

1) De Cornelii Labeonis fragmentis studiis adsectatoribus. Diss. Marb. 1889, p. 42.

2) In indice lectionum Vratislaviensi 1879/80 p. 9.

3) Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur spätröm. Litteraturgeschichte, Philol. Suppl. 5, 1889, p. 719 sqq.

dium, Cornificium aliosque. Quae licet ita sint, tamen Kahlius extrema indagationis parte (p. 804 sq.) conclusionem facit Labeonem tertio saeculo viguisse; terminum, post quem vixit, ex eo statuebat, quod apud Macrobium et Lydum, quorum utrumque ad Labeonem redire Kahlius Georgii Wissowa[1]) argumentis nisus sumebat, Iani quadrifrontis simulacrum in foro Nervae imperatoris collocatum commemoratur; ante Arnobium eum fuisse cum Kettnero sumit. Sed angustiores vitae terminos constituit Kahlius, dum ipse quoque Labeonem Neoplatonicum fuisse ratus eum illis temporibus attribuit, quibus Neoplatonicae scholae magistri floruissent, quorum inter vestustiores eminerent Plotinus, qui ab anno ducentesimo tricesimo p. Chr. n. ad ducentesimum septuagesimum, et Porphyrius, qui ab anno post Christum natum ducentesimo sexagesimo secundo ad trecentesimum fuissent. Labeonem altera tertii saeculi parte libros condidisse coniecturam fecit Kahlius. Non ultra Kahlium procedit Alexander Roehricht,[2]) qui item Labeonem tertii saeculi philosophum Neoplatonicum fuisse suspicatur. Ludovicus Schwabe[3]) autem Labeonem in tertio post Christum natum saeculo posuit, ob id, quod Labeonem Christianorum angelos cum Graecorum daemonibus comparaturum fuisse non verisimile esset, si prioribus temporibus viguisset. Contra eum Carolus Buresch[4]) iam secundo saeculo paganos Christianorum doctrinae satis peritos fuisse demonstravit. Argumenti loco Bureschius usus est Celsi, qui secundo p. Chr. n.

1) De Macrobii Saturnaliorum fontibus. Diss. Vratisl. 1880, p. 42 sqq.

2) Die Seelenlehre des Arnobius nach ihren Quellen und nach ihrer Entstehung untersucht. Hamburg 1893, p. 40 sqq.

3) Teuffel, Geschichte der röm. Litt.[5], § 390, 1.

4) Klaros, Leipzig 1889, p. 54 sqq.

saeculo Neoplatonicos philosophos sequebatur, libro ἀληθὴς λόγος qui inscribebatur, in quo[1]) daemonum nomine angelos quoque Christianorum contineri videmus. Itaque Cornelium Labeonem daemonicolam illum, aequalem Celsi et Maximi et Apulei, temporibus circa M. Aurelii imperatoris libros edidisse Bureschius sibi persuasit. Causa autem, quam Kahlius gravissimam esse duxerat, quod Labeo Neoplatonicus philosophus ab Arnobio primo in usum vocaretur, Bureschio non satis firma videtur esse. Qui anno 1892 quaestionem attigit tantum, Ricardus Heinze[2]) e Labeonis, quae de daemonibus proferret placitis apparere dixit eum non prius quam primo ante Christum natum saeculo vixisse, qua de re iam pridem nemo dubitavisset.

Heinzii et Bureschii argumenta ab eis, qui post eos in Labeonis aetatem inquisiverunt, etsi non repulsa, tamen non probata sunt. Wissowa enim, qui iam commentatione supra pag. 8 allata Labeonem tertio saeculo fuisse non negaverat, postea quoque, cum de Labeonis ipsius aetate et studiis ageret,[3]) idem iudicavit Kahlii inprimis et Kettneri argumentis nisus. Haud secus, qui nuperrime rem tractavit Fredericus Niggetiet[4]) Kahlii verbis Labeonem Neoplatonicum fuisse ut fundamento satis firmo usus est. Idem maiorem quam priores fragmentorum Labeonis numerum collegit ea ratione, ut totum Arnobii librum secundum in eum scriptum esse suspicaretur. Nam cum Arnobii adversarium philosophum Neoplatonicum fuisse e doctrinis eius in libro secundo impug-

1) Apud Originem advers. Celsum VII 68, cf. Buresch l. l. p. 55.

2) Xenocrates, Leipzig 1892, p. 113 adn. 5.

3) P(auly)-W(issowa) Realencyclop. IV col. 1351 sqq.

4) De Cornelio Labeone. Diss. Monast. 1908.

natis eluceret, cumque Niggetiet Labeonem Neoplatonicum fuisse pro certo haberet, Labeonem omnibus locis ab Arnobio repudiari suspicatus est, praesertim cum Arnobium alibi in Labeonem invehi nemo nesciret. Tota igitur argumentatio pendet ex ea re, ut Labeonem Neoplatonicum fuisse stet.[1]) Sed Niggetiet vel ultra hanc sententiam progressus est; etenim Labeonis, quas de daemonibus et anima humana protulit, doctrinis comparatis cum Porphyrii Iamblichique conclusionem facit Labeonem utroque usum esse ita, ut Porphyrium per Iamblichum adhiberet (pag. 51 sq.). Quod attinet ad vitae terminos, hac ex re sequeretur Labeonem non prius quam Iamblichum, qui anno post Christum natum trecentesimo tricesimo[2]) mortem obiit, vixisse; et cum liber de diis quo agebatur non multum ante Arnobii adversus gentes librum a Labeone scriptus esset, eum circa finem tertii vel initium quarti saeculi fuisse Niggetiet putavit.

Sed ea quoque opinio, quamquam omnibus fere viris doctis probatur, tamen difficultate quadam non caret. Wissowa enim iam in illa de Macrobii Saturnaliorum fontibus commentatione aperte indicaverat (p. 26 sq.) Cornelii Labeonis nomen apud Macrobium inveniri in eo loco (sat. I 16, 29 v. infra III § 2), quem totum e Suetonii libro de anno Romanorum qui inscribebatur sumptum esse satis luculentis argumentis patefecerat. Quam quidem difficultatem tali modo sustulit, ut eo loco non Cornelii, sed Antistii illius Labeonis, qui primo ante Christum natum saeculo de iure egit, nomen e Suetonii libro

1) Niggetietii argumenta infra in cap. III § 1 examinabo.

2) E. Zeller, Die Philosophie der Griechen III 2 ⁴ 1903 p. 736 adn. 3.

Macrobium hausisse contenderet, quam coniecturam Kahlius (p. 728) probavit. Sed Wissowa ipse in illa altera de Cornelio Labeone commentatione difficultates eo augeri vidit, quod apud Lydum Labeonis nomine praescripto duo fragmenta inveniuntur, quae ad librum quendam de fastis conscriptum redire apparet. Cumque ea fragmenta ad Antistium attinere nihil sit, quod nobis persuadeat, res eo difficilior fuit, quod alterum Cornelianum fragmentum ipsum quoque apud Macrobium nobis occurrit loco quodam, quem ad Suetonium redire negari non potest. Quam difficultatem sanare se posse Wissowa (l. l. col. 1354) ipse negat rem tum demum diiudicari posse ratus, cum quanta in auctorum nominibus afferendis fide Lydus usus sit, in aperto sit. Neque Niggetiet difficultatem, quam Wissowa statuit, summovit, qui contra eum coniecit (p. 38 sqq.) illum de fastis librum a Macrobio laudatum Cornelio Labeoni vindicari debere.

Facillime autem omnia sanari posse, si Labeo non tertio demum, sed secundo vel primo saeculo vixerit, nemo est, qui neget. Itaque haud a re alienum esse puto indagare, num causae, quibus commoti viri docti Labeonis aetatem terminaverunt, satis firmae sint, quae nobis persuadeant.

Quam quaestionem si instituimus, primo deliberandum est, quid constet et qua via inde progredi possimus. Id unum pro certo habere possumus Labeonem ab Arnobio in usum vocatum esse; praeterea id paululum nos adiuvat, dummodo rectum sit, quod Kahlius voluit, Labeonem post Nervam viguisse.[1])

1) quod apparere videtur e Lydo de mens. IV 1 p. 64 W. et Macrob. sat. I 9, 10 (Kahl p. 743 sq.). Quaestionem infra in cap. IV § 2 tractabo.

Sed inter utrumque terminum duorum vel etiam trium saeculorum spatium patet. Ad angustiores terminos constituendos illud maximi momenti fuit inspicere, quamnam scholam philosophicam Labeo secutus esset. Hic quoque sententiae virorum doctorum inter se plane differebant, qua de causa eam quaestionem capite sequenti iterum adire non inutile fore puto.

Caput alterum
De Labeonis studiis philosophicis.

§ 1. de diis selectis.[1])

Plurimi eorum, qui de Labeonis sententiis philosophicis egerunt, illum Neoplatonicum fuisse rati sunt, sed nonnulli eam opinionem in dubitationem vocaverunt, quorum Muelleneisen eo progressus est, ut illum Stoicum appellaret (p. 46). Negari quidem non potest Labeonem, si vere Neoplatonicus fuit, posteriorum demum saeculorum fuisse, quibus ea schola floruit, cum, si Stoicus fuit, nihil obstaret, quominus vitam eius primo post Christum natum saeculo vel etiam prioribus terminaremus. Quae cum ita sint, necessarium esse puto fragmenta Labeonis iterum perscrutari, ut, quam scholam secutus sit, certo cognoscamus.

Qua in re diiudicanda inprimis fragmenta a Kahlio collecta tractabo, cum Muelleneisen nihil fere novi afferat, Niggetiet autem, qui post Kahlium alia Labeonis fragmenta in Arnobii secundo libro se invenisse contendit, ea re nisus sit, quod incertam illam opinionem Labeonem Neoplatonicum fuisse pro certa habuit.

Priusquam autem ad singula Labeonis fragmenta accedamus, liceat de demonstrandi ratione pauca verba

1) Aug. d. c. d. VII 3.

facere; nam qui adhuc de Labeone egerunt, inprimis Kahlius, cum aliis de causis tum ea re commoti Labeonem Neoplatonicum fuisse sibi persuaserunt, quod nonnullis locis et apud hos et apud illum eandem fabulas explanandi rationem inveniebant (cf. Kahl p. 782). Videlicet tali consensu Labeonem Neoplatonicum putare omnino non cogimur, cum facillime fieri potuerit, ut et Labeo et Neoplatonici ad fontem quendam communem redirent. Quare inspiciamus necesse est, utrum Labeo in eis doctrinis cum Neoplatonicis consentiat, quae eorum propriae vel, si ad priores respicimus, plane inauditae sunt, an consensus ad eas tantum sententias attineat, quas ante Neoplatonicos iam priores docuerunt; qua in quaestione nobis inprimis cum Neoplatonicis et Stoicis res erit.

Quibus perpensis, si singula Labeonis fragmenta inspicimus, longe plurimis, quae Kahlius ex Arnobio Macrobio Lydo collegit, Labeonem id spectavisse videmus, ut religionis vulgaris varias deorum formas et ad unum summum deum referret et cum rerum naturalium ratione coniungeret. Perbene accidit, quod etiam eius modi libri titulus notus nobis est, quo Labeo tali consilio deos complures tractavit.[1]) E Macrobio (sat. I 18, 19 sqq.) videmus Labeonem libro 'de oraculo Apollinis Clarii' qui inscribebatur a quodam dei responso orsum demonstravisse Iovem Solem Plutonem Bacchum Iao nihil esse nisi eiusdem numinis varias formas. Simillima autem ratione aliis fragmentis non modo hi, sed etiam ceteri di ad unum numen referuntur, ut non sine omni probabi-

1) Annotem Labeonem praeter hunc etiam alios libros theologicos scripsisse, quorum titulos non novimus, ut plurima fragmenta certo libro tribuere non possimus. (Kahl p. 803.)

litatis specie conicere liceat Labeonem illo libro omnium deorum formas tali consilio tractavisse.

Talis syncretismi, qui vocatur, licet multa e Neoplatonicorum scriptis exempla afferri possint[1]) (Kahl p. 802), primordia ipsis ante Christum natum saeculis inveniuntur. Uno verbo commemorem in inscriptione quadam quinti a. Chr. n. saeculi *Ἀθηνᾶς Ὑγιείας*[2]) nomen occurrere, sed vere pervulgata illa doctrina est, quo ex tempore Ptolemaeus rex Serapis colendi inventor et Graecorum et Aegyptiorum religiones consulto iungere conabatur; Serapis enim deus Aegyptiorum Osirin et Graecorum Iovem Liberum Asclepium deos continebat.[3]) Exinde syncretismi multa documenta inveniri possunt;[4]) memoratu autem dignum est, quod cum aliis de causis tum philosophorum doctrinis, quibus deorum personas exstinxerunt, effectum est, ut illa cogitandi ratio tam celeriter ab hominibus acciperetur. Inprimis enim Stoici, cum

1) Procl. in Tim 49 C. Diehl; Sallust. de diis c. 6; Zeller III 2, 696 sq.; Lobeck, Aglaophamus p. 461.

2) IG I 335; Wolters, Athen. Mitt. 16, p. 153 sqq.; Usener, Götternamen, Bonn 1896 p. 176. *Ἀφροδίτης Ἥρης* vetustissimum simulacrum Pausanias III, 13, 9 affert (Usener ibidem p. 337 adn. 14) *Ζεὺς Ἄρης* in inscriptione quadam tertii a. Chr. n. saeculi invenitur, Solmsen Inscr. gr.[3] no. 67. *Ἀφροδίτα Πειθώ* I. G. A. 327.

3) P. Wendland, die hellenistisch-römische Kultur in ihren Beziehungen zu Judentum und Christentum, Tübingen [2] 1912 p. 129; A. Dieterich, Kleine Schriften, Leipzig 1911, p. 490.

4) Augusti temporibus scribit Diodorus I 10, p. 19 Vogel: *τῶν δὲ παρ' Ἕλλησι παλαιῶν μυθολόγων τινὲς τὸν Ὄσιριν Διόνυσον προσονομάζουσι καὶ Σείριον παρωνύμως*; cf. I 13, p. 22, 2 V; I 25 p. 39, 24 V; Gu. Dittenberger Syll. Inscr. Graec.[2] no. 583 circa initia aerae Christianae *Πλούτωνος Ἡλίου καὶ Κούρης Σελήνης*; C. I. Gr. 4262: Wendland l. l. p. 130 sq. Usener p. 338 sq.

pantheismo vulgaris fidei deorum formas accommodare studerent, omnes deos nihil esse nisi summi dei varia nomina aperte docuerunt.[1]) A Graecis Stoicorum de dis placita Romani quoque acceperunt, cuius rei testes sunt cum Cicero[2]) tum maxime Varro,[3]) qui Posidonii placitis nisus omnes deos ad unum eundemque summum, cuius illos modo partes modo virtutes appellat, referre minime dubitat.

Inde, quamdiu de Labeonis aetate nihil certi constat, concludere possumus eum aut Neoplatonicos secutum esse[4]) aut priorum ut Varronis placita accepisse.

Labeonis libri exemplum Kahlius illum Porphyrii philosophi *περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας*, qui inscribebatur, librum fuisse suspicatus est, 'cuius principium hodie deperditum consiliumque e verbis quibusdam Eusebii (praep. ev. IV 6, 3 p. 169 D) cognoscere licet (Kahl p. 763): *Οὗτος τοιγαροῦν ἐν οἷς ἐπέγραψε Περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας συναγωγὴν ἐποιήσατο χρησμῶν τοῦ τε Ἀπόλλωνος καὶ τῶν λοιπῶν θεῶν τε καὶ ἀγαθῶν δαιμόνων, οὓς καὶ μάλιστα ἐκλεξάμενος αὐτῷ ἡγήσατο ἱκανοὺς εἶναι εἴς τε ἀπόδειξιν τῆς τῶν θεολογουμένων ἀρετῆς εἴς τε προτροπὴν ἧς αὐτῷ φίλον ὀνομάζειν θεοσοφίας.*

Quae Kahlii coniectura non satis firma est; nam ut praetermittam, quod utriusque philosophorum libros

1) Chrysippus apud Philodemum de pietate c. 11 (Arnim frg. 1076 II p. 315, 20 sq.). Cornut. p. 14, 13 ed. Lang; p. 20, 18. Heraclit. alleg. hom. p. 40, 15 ed. Oelmann; p. 76, 78, 3 alibi. Wendland p. 111 sqq.; Kärst, Gesch. des hell. Zeitalters, Leipzig u. Berlin 1909 II, 233.

2) De n. d. I 15, 40; 14, 36 sq., ubi Stoicorum celeberrimos laudat; II 24, 68.

3) Agahd, Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. XXIV, p. 149 frg. 15 b ant. l. I.

4) Wendland p. 159; Agahd l. l. p. 84 sqq.

sententiis non congruere apparet, cum Porphyrius quam plurima et Apollinis et ceterorum deorum daemonumque oracula colligere studuerit, Kahlius ab illa incerta opinione Labeonem post Porphyrium viguisse orsus est. Accedit, quod nulla difficultas oritur, cum Labeonem non de Porphyrii libro pendere statuimus; nam Porphyrius neque primus de oraculis scripsit neque solus erat, quem Labeo imitari posset. Oracula enim etiam antiquissimi Graecorum philosophi ac rerum scriptores non neglexerunt.[1]) Historicorum enim Theopompus[2]) libro duodecimo oraculum Clarium tractavit, Mnaseas[3]) Aristarchi discipulus librum *περὶ χρησμῶν Δελφικῶν* composuit, ut alios omittam. Inprimis autem philosophi oraculis studuerunt, in quibus Stoici, cum omnes divinandi species defensarent, de colligendis tuendisque optime meriti sunt. Merito Jaeger l. l. p. 32 G. Wolffii[4]) opinionem repudiavit, qui Stoicos magis adversus oracula quam de eis scripsisse coniecerat; cui opinioni obstant Ciceronis verba de div. II 56, 115, e quibus Chrysippum[5]) Apollinis potissimum responsa congessisse elucet. Chrysippus enim, ut Zenonem (frg. 173 v. Arnim I p. 44) et Cleanthem (frg. 550 v. Arnim I 125) praetereamus,

1) G. Wolff, de novissima oraculorum aetate, Progr. Friedr. Werdersches Gym. Berol. 1854, p. 10 sqq. G. Wolff, Porphyrii de philosophia ex oraculis haurienda librorum reliquiae, Berol. 1856, p. 49 sqq. C. Wachsmuth, die Ansichten d. Stoiker über Mantik u. Dämonen. Berlin 1860, p. 12 sq. G. Schmeisser, die etruskische Disciplin, Progr. Liegnitz 1881, p. 11 sqq. Fr. Jaeger, De oraculis quid veteres philosophi iudicaverint, diss. Rostock 1910, p. 26 sqq.

2) Frg. 113, FHG I p. 296.

3) Frg. 46, FHG I p. 157.

4) De nov. orac. aet. p. 2; Porph. de phil. ex orac. haur. p. 54.

5) Frg. 1214 v. Arnim II p. 348.

librum de oraculis proprium composuit, peculiari opere multa exempla collegit, eis patrocinatus est; cf. Cic. de div. I 19, 37 (Arnim frg. 1214 p. 348): '*περὶ χρησμῶν* collegit innumerabilia oracula neque ullum sine locuplete auctore atque teste.' Haud secus posteriores Stoici oraculis studuerunt. Quomodo Posidonius oracula defenderit, Cicero illius vestigia secutus monstrat de div. I 19, 37: 'numquam illud oraculum Delphis tam celebre et tam clarum fuisset .... nisi omnis aetas oraculorum illorum veritatem esset experta' eqs.

Idem Posidonius Apollinis minimum tria responsa in suam rem vertit.[1]) A Stoicis vero hoc studium ad Neopythagoreos aliosque philosophos filo non interrupto transiit, quorum Porphyrius cum multis in aliis rebus, tum hic priores secutus est.

Quae cum ita sint, Labeonem tam priores philosophos quam Neoplatonicos sequi potuisse quis est quin concedat? Sed hanc litem ut plane dirimamus, ipsius fragmenta inspiciamus ita, ut singulas doctrinas Labeonis fragmentis firmatas cum argumentis ex aliorum philosophorum libris hauriendis comparemus. Cumque Labeo de Apollinis Clarii oraculo egerit, primum est inspicere, quae eius oraculi sortes fuerint; nam inde apparebit, utrum hoc Labeonis studium eum posterioribus saeculis tribuere nos cogat necne. Iuvamur hac in re diiudicanda eis, quae praeter Wolffium[2]) et Immischium[3]) inprimis Bureschius contulit libro Klaros qui inscribitur (p. 29 sqq.).

Oraculum Apollinis Clarii non prius quarto ante Christum natum saeculo nummorum inscriptionibus

1) Apud Plutarchum de Pyth. orac. cap. 11 p. 399^b sqq. cf. Jaeger l. l. p. 46.

2) De nov. oracul. aetate p. 16 sqq.

3) Jahrb. f. Phil. Suppl. XVII 1889, p. 127 sqq.

notum nobis fit, eiusdemque aetatis responsum Alexandri Magni temporibus datum Pausanias VII 5, 3 servavit.[1]) Sequentis aevi iniquitate factum videtur esse, ut oraculum non floreret. Secundo ante Christum natum saeculo Nicander[2]) poeta et sacerdos Colophonius oraculum Clarii fuisse testatur, sed magna auctoritate ne tum quidem fruebatur, quin etiam id aliquantum temporis siluisse a praedonibus direptum Cicero[3]) docet. Non multo post autem rebus plane mutatis oraculi auctoritas celeriter restituta atque aucta, nomen incredibili fere modo per orbis terrarum gentes pervulgatum est. Quo tempore Ovidius poeta Germanico principi fastorum libros dedicaturus fuit, oraculum tam clarum erat, ut deum etiam per litteras consulerent homines.[4]) Anno post Christum natum duodevicesimo Germanicum ipsum Clarii Apollinis oraculum adisse Tacitus auctor est[5]); deus autem maturum ei exitum cecinit; quo responso, cum paulo post evenisset, oraculi auctoritatem valde auctam esse non miraberis. Idem Tacitus oraculum iterum commemorat,[6]) exinde Plinius[7]) et Lucianus[8]) non ignorant, neque sequentibus saeculis oraculum consulere homines desierunt (Buresch l. l. p. 43 sqq.).

Quae cum ita sint, quoniam Labeonem librum tum demum scripsisse consentaneum est, cum oraculi

1) Buresch l. l. p. 34.

2) *Ἀλεξιφάρμακα* v. 11 Schneider p. 275.

3) De imp. Cn. Pomp. 12, 32; Plut. Pomp.: 24 *τῶν δὲ ἀσύλων καὶ ἀβάτων πρότερον ἱερῶν ἐξέκοψαν ἐπιόντες τὸ Κλάριον.*

4) Fast. I 20.

5) Annal. II 54, Buresch. l. l. p. 39 sq.

6) Lolliam Agrippinae aemulam oraculum consuluisse annal. XII, 22 tradit.

7) n. h. V 29, 31.

8) *Δὶς κατηγορούμενος* cap. 1 ed. Jacobitz III p. 1.

fama satis magna erat, id certe affirmari potest eum post Christum natum viguisse, angustiores autem vitae eius terminos hac ex re statuere minime licet.

Quibus perpensis nos ad singula libri de Apollinis Clarii oraculo fragmenta vertamus; ordiamur a Labeonis de summo deo sive Sole sententia Macrobii sat. I 18, 19 (Kahl p. 759):[1])

'Εἷς Ζεύς, εἷς 'Αίδης, εἷς "Ηλιος, εἷς Διόνυσος.

huius versus auctoritas fundatur oraculo Apollinis Clarii, in quo aliud quoque nomen Soli adicitur, qui in iisdem sacris versibus inter cetera vocatur *'Ιάω*. Nam consultus Apollo Clarius, quis deorum habendus sit, qui vocatur *'Ιάω*, ita effatus est:

ὄργια μὲν δεδαῶτας ἐχρῆν νηπευθέα κεύθειν.
εἰ δ' ἄρα τοι παύρη σύνεσις καὶ νοῦς ἀλαπαδνός,
χείματι μέν τ' 'Αίδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
'Ηέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν 'Ιάω.'

Hoc responso *'Ιάω*, quod nomen Iudaeorum summo deo fuisse nemo nescit,[2]) cum Graecorum deis inprimis cum Sole comparatur. Quam ob rem oraculum non tam ab Apolline datum esse forsitan coniciat quis quam ab homine quodam vel Iudaeo vel Christiano interpolatum. Sed id nondum diiudicem, immo, quo ex tempore talis comparatio fieri potuerit, quaeram. Cuius vestigia iam ante Christum natum saeculis inveniuntur, secundo enim saeculo Aristeas quidam epistula ficta[3]) Ptolemaeo regi persuasit Iudaeos eundem quem Graecos et omnes homines deum venerari nulla re nisi nomine mutato. Varronem quo-

1) Labeonis, quae Kahlius collegit, fragmenta Kahlii nomine paginaeque numero adscriptis notabo.

2) Buresch l. l. p. 48 sq.

3) § 16 Wendland: *τὸν πάντων ἐπόπτην καὶ κτίστην θεόν σέβονται, ὃν καὶ πάντες, ἡμεῖς δὲ μάλιστα, προσονομάζοντες ἑτέρως Ζῆνα.*

que non dissensisse, cum non interesse diceret, quo nomine deus nuncuparetur, dum eadem res intellegeretur, Augustinus[1]) testatur. Eiusdem opinionis Valerius Maximus[2]) testis est, qui etsi paganus tamen Iovem et Iao Iudaeorum deum eundem esse minime dubitat concedere; cum Libero autem deo eundem Iao Plutarchus[3]) et Tacitus[4]) comparaverunt. Quae cum ita sint, Bureschius l. l. p. 50 merito Baudissini et Immischii opiniones repudiavit, qui oraculum illud a Christiano quodam interpolatum esse contenderant; etiam multo ante Christum natum antiqui homines spe salutis commoti omnis generis deos adierunt, itaque fieri potuit, ut iam tum ei, qui de summo deo Apollinem consuluerat, etiam Iao dei nomen offerretur. Quare hoc responsum sequioris demum aevi fuisse ex Iao nomine commemorato concludere omnino non licet.

Ceteras oraculi et Labeonis de eo sententias inspicere nunc nostrum est, utrumne iis insint, quae nos putare cogant Labeonem non prius quam Neoplatonicorum aetate vixisse.

Apollinem eundem esse ac Solem ex oraculo Apollinis elucebat, id quod verum esse Labeo deorum nominibus vel cognominibus explanatis demonstravit apud Macrobium sat. I 17, 7 (Kahl p. 757): 'Latinitas eum (Apollinem) quia tantam claritudinem solus obtinuit, solem vocavit.' Idem Lydus de mens. p. 21, 19

1) De cons. ev. I 22, 30: 'Varro deum Iudaeorum Iovem putavit'; cf. ibidem I 27, 42; Lydus de mens. p. 110 sq W.; E. Norden, *Ἄγνωστος θεός*, Untersuchungen zur Formengeschichte religiöser Rede. Teubner 1913, p. 62.

2) Excerpt. Paridis I 3, 2 Kempf p. 126.

3) Quaest. conv. IV 6, 2 vol. IV p. 172 sq. B.

4) Hist. V, 5.

W. e Labeonis libro hausit (Kahl ibidem): *Ἀπόλλων λέγεται διὰ τὸ ἄπωθεν εἶναι τῶν πολλῶν, καὶ Ῥωμαῖοι αὐτὸν σόλεμ ἤτοι μόνον λέγουσιν.*

Apollinem sub Solis forma intellegi quin apud Stoicos usitatissimum fuerit, nemo certe dubitabit, cum meminerit, qua ratione illi philosophi vulgaris religionis deos tractaverint, ut in iis nihil inesse demonstrarent nisi naturae quandam vim (Zeller III 1, 324). Haud aliter ea explanandi ratio, qua ex dei nomine natura quoque eius exponitur, de illis philosophis nos commonefacit; etenim isdem fere verbis Cicero Posidonium secutus Apollinis nomen explanavit de n. d. II 27, 68: 'Apollinis nomen est Graecum, quem Solem esse volunt . . . . quum Sol dictus sit vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus vel quia, quum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet.'

Aliud Labeonis fragmentum Kahlius (p. 757 sq.) affert ex Macrob. sat. I 17, 9: 'Cornificius arbitratur Apollinem nominatum *ἀπὸ τοῦ ἀναπολεῖν*, id est quia intra circuitum mundi quem Graeci *πόλον* appellant, impetu latus ad ortus refertur.' His vocibus nihil Neoplatonicae doctrinae inesse cum tota e sententia tum ea re luce clarius fit, quod Cornificius, quem hic Labeo in usum vocavit, Stoicus philosophus fuit.[1]) Quod etiam altero Cornificii fragmento demonstratur, Macrob. sat. I 17, 15 (Kahl p. 758): 'Nam *ὡς ἀπελαύνοντα τὰς νόσους Ἀπόλλωνα* tamquam *Ἀπέλλωνα* cognominatum putant . . . . quae sententia Latinae quoque nominis enuntiationis congruens fecit, ne huius dei nomen verteremus, ut Apollinem apellentem mala intellegas, quem Athenienses *Ἀλεξίκακον* appellant.'

1) Ante Verrium Flaccum viguit, qui eius libros adhibebat, v. Wissowa PW IV 1, 1631.

Hanc eandem explanandi rationem secundum Stoicos fieri probatur v. c. a Cornuto Stoico[1]) comp. c. 32 p. 65, 20 Lang: *τὸν δ' Ἀπόλλωνα ὡς ἀπολύονθ' ἡμᾶς τῶν νόσων ἢ ἀπελαύνοντα ἀφ' ἡμῶν αὐτὰς ταύτης τετευχέναι τῆς προσηγορίας.* Si autem cum Cornuti Stoici Labeonis explanandi ratio congruit, id pro certo habere possumus Labeonem si non de Cornuto at certe de Stoicis hac in re pendere.

Apollinis cognomina duo explanantur a Labeone apud Macrobium sat. I 17, 42 et 17, 64, quae explicationes non discrepant a ceteris partibus eiusdem capitis, cuius nonnulla a Stoicis philosophis tracta esse elucet nominibus auctorum praescriptis, cf. c. 17, 33, 36 alibi, quae repetere longum est. Id unum annotare velim apud Macrobium I 17, 42 (Kahl p. 752) e Labeone versus Orphei afferri: 'Apollinem *Πατρῷον* cognominaverunt: quod sol umoribus exsiccatis ad progenerandum omnibus praebuit causam, ut ait Orpheus

πατρὸς ἔχοντα νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.'

Haec res optime ad Stoicos quadrat, qui non inviti et aliorum poetarum et Orphei personati libris contineri, quae ipsi sentirent, docebant.[2])

Fragmenta iam inspeximus, quae de Apolline deo sunt, progrediamur ad ea, quae de L i b e r o deo cum Sole comparando Labeo docuit.

Ordiamur a Macr. sat. I 18, 15 sq. (Kahl p. 762): 'Physici *Διόνυσον Διὸς νοῦν*, quia solem mundi men-

1) qui Neronis aetate viguit, v. Arnim PW I 2225 sq. Zeller III 1, 691 sq.

2) Philodemus de pietate c. 13 Gomperz: *ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ (περὶ θεῶν ὁ Χρύσιππος) τά τε εἰς Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον ἀναφερόμενα καὶ τὰ παρ' Ὁμήρῳ καὶ Ἡσιόδῳ καὶ Εὐριπίδῃ καὶ ποιηταῖς ἄλλοις ὡς καὶ Κλεάνθης πειρᾶται συνοικειοῦν ταῖς δόξαις αὐτῶν.*

tem esse dixerunt, mundus autem vocatur caelum, quod appellant Iovem, unde Aratus de caelo dicturus ait (Phaen. 1) *ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.* Liber a Romanis appellatur, quod liber et vagus est, ut ait Naevius: 'hac qua sol vagus igneas habenas | immittit propius iugatque terrae.'

Quem locum ad Labeonem redire Kahlius p. 761 e concentu, qui inter Macrobium et Lydum exstat, conclusit: cf. Lyd. de mens. p. 108, 18 sq. W. (Kahl p. 762): *Διόνυσον δὲ ὡσανεὶ τὸν τοῦ Διὸς νοῦν οἱονεὶ τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν· πολλαχοῦ γὰρ εὑρίσκομεν, ὡς ὁ σύμπας κόσμος Ζεὺς ὀνομάζεται διὰ τὸ ἀείζωον καὶ ἀτελεύτητον*, et Lyd. p. 106, 16 W. (Kahl ibidem): *Λίβερ παρὰ Ῥωμαίοις ὁ Διόνυσος οἱονεὶ ἐλεύθερος, τουτέστιν Ἥλιος.*

His in fragmentis permulta insunt, quae ad Stoicorum doctrinas redire veri simillimum est. Etiamsi Stoicos *Διόνυσον* per *Διὸς νοῦν* explanavisse certis argumentis firmare non possumus, tamen eam explicationem Stoicorum fuisse eo minus negari potest, quod et eorum explanandi rationem sequitur et artissime cum ceteris eiusdem et Lydi et Macrobii paragraphi etymologiis coniuncta est, quae omnes ad illos philosophos redeunt; nam Solem mundi mentem a Cleanthe Stoico vocatum esse Cicero testatur de n. d. I 14, 37 (frg. 530 p. 120 v. Arnim): 'Cleanthes . . . . tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo hoc tribuit nomen.' Quem ad locum adsumas Aetii plac. II 4, 16, Doxogr. p. 332, 23 Diels: *Κλεάνθης ὁ Στωικὸς ἐν Ἡλίῳ ἔφησεν εἶναι τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου* (Zeller III 1, 137).

Porro deus *κόσμου ψυχὴ* vocatur a Stoicis apud Stobaeum ecl. I 58: *Διογένης καὶ Κλεάνθης . . . . τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν θεὸν λέγουσιν.* Praeterea quae

affert Cornutus comp. c. 2 verba perapta sunt, quibus Labeonis fragmentum secundum Stoicos explanetur, p. 3 Lang: *ὥσπερ . . . δὲ ἡμεῖς ὑπὸ ψυχῆς διοικούμεθα, οὕτω καὶ ὁ κόσμος ψυχὴν ἔχει τὴν συνέχουσαν αὐτόν, καὶ αὕτη καλεῖται Ζεύς, πρώτως καὶ διὰ παντὸς ζῶσα καὶ αἰτία οὖσα τοῖς ζῶσι τοῦ ζῆν . . . . οἰκεῖν δὲ ἐν τῷ οὐρανῷ λέγεται, ἐπεὶ ἐκεῖ ἐστι τὸ κυριώτατον μέρος τῆς τοῦ κόσμου ψυχῆς· καὶ γὰρ αἱ ἡμέτεραι ψυχαὶ πῦρ εἰσιν.* — Sed pergamus ad reliquas Labeonis sententias; voces 'mundus autem vocatur caelum' cum ad Varronem redeant (Kahl p. 746; 752) a Stoicorum doctrinis sine dubio non abhorrent.

Quae sequuntur Liberi dei explanationes Labeo firmare conatus est Arati et Naevii poetae verbis allatis. Kahlius (p. 762) hac ex re conclusit Labeonem Neoplatonicorum inprimis Iamblichi vestigia pressisse, quem poetarum sententias in usum vocavisse e fragmentis libri *περὶ θεῶν* qui inscribebatur eluceret. Quae coniectura minime firma est; etenim iam veteres Stoicos poetarum verba allegorica interpretatione doctrinis suis accommodavisse supra p. 22 vidimus. Facillime eius moris exempla cumulare possum, at ne longus sim, id unum afferam Ciceronis libros, qui de deorum natura sunt, perlegenti tibi plurimis locis poetarum et Graecorum et Romanorum occurrere sententias: lib. I 23, 63 affertur Lucilius, ibidem 28, 79 Q. Catulus, 35, 97 Ennius; cf. I 42, 119; II 2, 4; II 23, 60; 25, 65; 41, 104. Unum modo locum, qui sententia simillimus est, exscribam Cic. de n. d. II 25, 65: 'hunc igitur (Iovem) Ennius ut supra dixi nuncupat ita dicens (Vahlen p. 184, Thyestae frg. 345) 'Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem' planius quam alio loco idem (Vahlen p. 196 v. 401) 'cui quod in me est exsecrabor, hoc quod lucet quidquid est.' hunc etiam augures nostri . . . . Euripides (frg. 941 p. 664 Nauck) autem ut multum praeclare sic hoc breviter

'Vides sublime fusum, immoderatum aethera
qui tenero terram circumiectu amplectitur
hunc summum habeto divom, hunc perhibeto Iovem.'

Quo loco Labeo et consilio et docendi ratione plane cum Cicerone congruit. Haud aliter ac Labeo Cicero quoque, ut Iovem caelum esse demonstraret, Graecis et Romanis versibus nisus est.

Aliud, quo de Libero deo agitur, fragmentum Labeonis Kahlius (p. 762) apud Macrobium detexit sat. I 18, 23: 'hinc et Vergilius sciens Liberum patrem solem esse et Cererem lunam, qui pariter fertilitatibus glebae et maturandis frugibus vel nocturno temperamento vel diurno calore moderantur vestro ait (Georg. I, 7)

si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit aristae.

Solem vero terrenae esse fecunditatis auctorem idem poeta profano mox docuit exemplo cum ait (Georg. I, 84)

saepe etiam steriles incendere profuit agros.'

Liber idem ac Sol, Ceres eadem ac luna Stoicis fuerunt, cf. Servii com. ad Georg. I 5: 'vos o clarissima mundi lumina Liber et alma Ceres: Stoici dicunt non esse nisi unum deum et unam eandemque esse potestatem quae pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur; unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant, item Lunam eandem Cererem eandem Proserpinam dicunt; secundum quos pro Sole et Luna Liberum et Cererem invocavit.'

Iam inspeximus, quae Labeo in illo qui inscribebatur de Apollinis Clarii oraculo libro de Iao Apolline Libero deis cum Sole comparandis docuerat. Si

respicimus, quales in his fragmentis sententiae nobis occurrerint, negare non poterimus in iis nihil, ne verbum quidem inesse, quod non veterum scriptorum vel Stoicorum philosophorum argumentis firmari posset Neoplatonicis plane neglectis; nullo loco Neoplatonici cuiusvis philosophi nomen affertur, immo Stoicorum vestigia Labeonem pressisse vidimus.

Quae de ceterorum deorum natura Labeo docuerit, iam videamus. Qua in re ordiamur a fragmentis, quibus de I a n o deo agitur. Quae collecta sunt inprimis e Lydi Macrobii Arnobii libris, qui omnes de Iano tantopere consentiunt, ut e fonte communi doctrinam eos hausisse negari non possit; quem Labeonem fuisse viri docti summa cum probabilitatis specie suspicati sunt (Kahl p. 751). Ex his Labeonis fragmentis apparet eum, quamquam eius multum interesset, ut vulgares deos physica ratione ad naturalem vim referret, tamen ne eos quidem auctores neglexisse, qui secundum fabulas de deorum formis egerunt. Sed diligenter Labeo, cum utriusque ordinis auctores in usum vocaret, physicas explanationes secrevit a mythicis, Varronis fortasse exemplum secutus 'qui tria genera theologiae dicit esse ... eorumque unum mythicon appellari, alterum physicon, tertium civile', Aug. de civ. d. VI 5.[1])

Quam divisionem a Stoicis institutam esse doceat Pseudoplut. plac. I 69 Doxogr. p. 295 Diels (Zeller III 1, 317 adn. 3): *οἱ τὸν περὶ τῶν θεῶν παραδόντες σεβασμὸν διὰ τριῶν ἐξέθηκαν ἡμῖν εἰδῶν, πρῶτον μὲν τοῦ φυσικοῦ, δεύτερον δὲ τοῦ μυθικοῦ, τρίτον δὲ τοῦ τὴν μαρτυρίαν ἐκ τῶν νόμων εἰληφότος.* Hanc distribuendi rationem a Panaetio inventore Varronem discipulum accepisse Zeller III 1, 567 coniecit.

1) Kahl p. 749 adn. 81.

Iam ad singula fragmenta accedamus, secundum quae Mythici Ianum heroem fuisse affirmabant. Quod primi ante Christum natum saeculi poetis et viris doctis haud alienum fuisse, ut alios praeteream, Ovidius[1]) testis est. Physicorum autem hae explicationes per Labeonem servatae sunt: Lydus de mens. IV 1 p. 63, 8 W: *ὁ Λαβεὼν οὖν φησιν αὐτὸν καλεῖσθαι Ἰανὸν .... Ἰουνώνιον τουτέστιν ἀέριον.*

Iani cognomen a Iunonis derivatum esse Macrobius quoque testis est sat. I 9, 16 (Kahl p. 742): 'a qua (Iunone) etiam Ianum Iunonium cognominatum diximus .... Iuno autem aëris arbitra est.' Iunonem aëris forma intellegi licet Neoplatonicorum e scriptis argumentis firmari possit,[2]) tamen a Stoicorum quoque doctrinis omnino non abhorruisse facile tibi persuadere potes;[3]) itaque Labeonem Neoplatonicum fuisse hac e re concludi non licet. Quae praeterea Lydi loco Labeo de Iano explicavit, nobis tractanda non sunt, cum neque ad philosophiam pertineant neque quicquam contineant, quod aetatem Labeonis perscrutanti mihi usui esse possit. At de mens. IV 1 p. 64, 12 W. Lydus Messalam secutus Ianum deum *Αἰῶνα* cognominat: *ὅθεν ὁ Μεσσαλᾶς τοῦτον εἶναι τὸν αἰῶνα νομίζει· καὶ γὰρ ἐπὶ τῆς πέμπτης τοῦ μηνὸς τούτου ἑορτὴν Αἰῶνος ἐπετέλουν οἱ πάλαι.* Quam vocem Gnosticorum e doctrinis effluxisse ratus Kahlius p. 745 probabilitatem conciliare studet Labeonem, quem inter Messalam et Lydum intercedere recte

1) Fast. VI 101 sqq.; metam. XIV 320 sqq.; G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer[2] 1912, p. 107 sq.

2) v. Porphyrium apud Euseb. pr. ev. III 11, vol. I, p. 130, 15 Dindorf.

3) Cic. de n. d. II 26, 66: 'aer ut Stoici disputant, interiectus inter mare et caelum, Iunonis nomine consecratur.' cf. Diogenem Babyl. apud Philodemum de piet. 15 frgm. 33 v. Arnim I p. 217; Kahl p. 742 adn. 60.

statuit, cum hoc vocabulum adhibuerit, posterioribus demum saeculis viguisse; iniuria. Nam ex hoc ipso enuntiato enucleari potest de Gnosticorum voce *αἰών* minime agi; nam apparet Messalam voce *αἰών* usum diei festi nomen agonium[1]) h. e. *αἰώνιον* explanavisse per deum *Αἰῶνα*, cuius *Αἰῶνος* nomen iam Euripidi[2]) notum fuit. Cum autem Messala Caesaris aetate vixerit,[3]) voce *αἰών*, etiamsi eam etiam Labeo adhibuit, hunc serioribus saeculis attribuere nullo modo cogimur. Quo loco Macrobius Messalae de Iano sententiam affert (sat. I 9, 14; Kahl p. 744), nihil, quod cum Lydi sententiis congruat, legimus; Macrobius, cum Messalam in usum vocaret, illam de voce *αἰών* disputationem legit fortasse, sed plane omisit.

Vertamur ad Lydum de mens. IV 2 p. 64, 18 sq. W (Kahl p. 746): *ὁ δὲ Βάρρων ἐν τῇ τεσσαρακαιδεκάτῃ τῶν θείων πραγμάτων φησὶν αὐτὸν παρὰ Θούσκοις οὐρανὸν λέγεσθαι καὶ ἔφορον πάσης πράξεως.* E Varrone, quem nomine Lydus appellat, etiam ea hausta esse, quae Labeo apud Macrobium sat. I 9, 11 et Arnobium adv. gent. III 29 de Iano deo docet, Kahlius p. 746 recte cognovit locis cum Augustini[4]) verbis comparatis, quae ad Varronem redire constat.[5]) Apud Macrobium enim legimus l. l. I 9, 11: '(Ianum) alii mundum id est caelum esse voluerunt' et apud Arnobium III 29 p. 131 R: '(Ianum) quem quidam ex vobis mundum prodidere.'

---

1) De hoc vocabulo v. Wissowa, Religion und Kultus der Römer² p. 29. Res non eo improbatur, quod agonium illud a. d. V idus Ian. celebrabatur, Wissowa p. 103 adn. 5.
2) Heraclid. 900; Wernicke PW I 1042 sq.
3) Schanz, Gesch. d. röm. Litt. I 2, 492 sq.
4) Aug. de civ. dei VII 7; ibidem VI 3.
5) Varron. ant. libr. XVI frg. 9; Agahd l. l. p. 203.

Qua de philosophorum schola haec verba nos moneant, quaerentibus id primo obtutu constat de Neoplatonicis omnino cogitari non posse; nam obstat Varronis nomen praescriptum. Varro autem Stoicus[1]) fuit et ad Stoicorum doctrinas re vera optime loci huius sententia quadrat, quae aperte Stoici pantheismi qui vocatur exemplum luculentum praebet.[2]) Stoici enim, cum inter deum et mundum differentiam interesse negarent, alterum alterius nomine appellare non dubitaverunt. Arnobii Macrobiique igitur sententias mundum vel caelum deum esse cum Stoicis consentire facile demonstrari potest; v. c. Diog. VII 148 p. 191 Cobet: *οὐσίαν δὲ τοῦ θεοῦ Ζήνων μέν φησι τὸν ὅλον κόσμον καὶ τὸν οὐρανόν, ὁμοίως δὲ καὶ Χρύσιππος.* Cf. Cleanthem ap. Cic. de nat. deor. I 14, 37 frg. 530 v. Arnim, vol. I p. 120.

Nonnullas alias Iani dei explanationes Macrobius e Labeone hausit, quas inspicere pretii erit. Macr. sat. I 9, 11 (Kahl p. 749): 'Ianumque ab eundo dictum, quod mundus semper eat, ... unde et Cornificius Etymorum libro tertio: Cicero, inquit, non Ianum, sed Eanum nominat ab eundo.' Quae interpretatio iterum de Stoicis nos admonet; hic non aliter ac priore fragmento mundus sub Iani dei forma intellegitur, accedit, quod et Cornificii Stoici[3]) nomen affertur et Ciceronem loco commemorato a Stoico pendere verisimillimum est.[4])

Aliam Iani nominis definitionem Macrobius versu sequenti e Labeonis libro hausit hisce verbis (Kahl p. 749 sq.): 'Sunt qui Ianum eundem esse atque Apollinem et Dianam dicant et in hoc uno utrumque

---

1) Zeller l. l. III 1, 674 sqq.
2) Zeller l. l. III 1, 146 sqq.
3) cf. quae p. 21 attulimus.
4) Cic. de n. d. II 27, 67; Schanz, röm. Litt. I 2, p. 362.

exprimi numen affirment. Etenim, sicut Nigidius quoque refert, apud Graecos Apollo colitur, qui *Θυραῖος* vocatur . . . idem Apollo apud illos et *Ἀγυιεὺς* nuncupatur, quasi viis praepositus urbanis . . . . Pronuntiavit Nigidius Apollinem Ianum esse Dianamque Ianam.'

Enuntiata haec Nigidii,[1]) philosophi Neopythagorici primi ante Christum natum saeculi, auctoritate fundata sunt, Labeonem igitur Neopythagoreorum quoque sententias et cognovisse et in usum vocavisse statuere possumus, sed tales tantum, quales iam Ciceronis temporibus pervulgatae fuerunt; reliqua autem explanandi ratio minime abhorret ab illa, quam stoicam esse supra iam vidimus; v. Cornutum Stoicum p. 69, 19 L.: *Ἀπόλλων] ἀγυιεὺς δ' ἐκλήθη δεόντως ἱδρυθεὶς ἐν ταῖς ἀγυιαῖς.* Quae res nullo modo offendit nos, cum Neopythagoricos Stoicis permulta debuisse satis constet (Zeller III 2, 91 sqq.).

Quin in his fragmentis, quae de Iano sunt, nihil de Neoplatonicis nos admoneat, vix dubites. Immo ad Stoicos et primi a. Chr. n. saeculi Neopythagoreos optime quadrant, quaecumque Labeo docebat.

Saturnus quoque ad solem a Labeone refertur nonnullis fragmentis, in quibus illam mythicae et physicae rationis divisionem iterum invenimus.

Macr. I 8, 6 sq. (Kahl p. 753) *Κρόνος* voce *χρόνος* explanatur; quae explicatio etsi a Stoicis non neglecta,[2]) tamen magis vulgata fuit,[3]) quam ut de certa philosophorum schola nos admoneat. Maioris momenti sunt, quae Macrobius sat. I 8, 9 e Labeone (Kahl

1) Fragmenta collegit A. Swoboda, P. Nigidii Figuli operum reliqq. Wien 1889, p. 85.

2) Cic. de n. d. II 25, 64.

3) Cratin. fr. 240 Kock 1, 86; Euripides Suppl. 791; Mayer apud Roscherum, Lexicon d. griech. Mythol. II col. 1546.

p. 754) praebet: 'propter abscisorum pudendorum fabulam etiam nostri eum Saturnum vocitaverunt *παρὰ τὴν σάθην*, quae membrum virile declarat, veluti Sathunnum, inde etiam Saturos vel Sathunos, quod sint in libidinem proni, appellatos opinantur.'

Cum haec latino e fonte fluxisse voce 'nostri' appareat, Kahlius l. l. Labeonem hic a Cornificii doctrinis pendere coniecit non sine magna probabilitatis specie. Utut res se habet, vix ad Neoplatonicos redeunt, quorum explanationes apud Plotinum et Augustinum nobis occurrunt; v. Plot. ennead. V, 1, 4 p. 485: *Κρόνου . . θεοῦ κόρου καὶ νοῦ ὄντος*, August. de cons. evang. I 35: 'Saturnus h. e. satur *νοῦς*' (Kahl p. 754 adn. 94). Quae explicatio ad Neoplatonicorum doctrinas optime quadrat. *Νοῦς* enim propria significatione, quae etsi a Neoplatonicis non inventa,[1]) tamen imprimis eorum fuit, post primum deum nomine carentem deus secundus est, qui mundum intelligibilem continet et efficit (Zeller III 2, 530 sqq.) Hic aperte videre possumus, qua ratione Neoplatonici, si non ea, quae Stoici docuerant, acceperunt, deorum formas explicaverint, quas explanationes Labeo, si vere Neoplatonicos secutus esset, vix omisisset.

Cetera Labeonis fragmenta ex Arnobio aut Lydo sumpta quae de Saturno agunt omitto, cum nullius ad auctoris studia vel aetatem indaganda momenti sint (Kahl p. 755 sq.).

De Iove ad Solem referendo dicit Arnobius III 30 (Kahl p. 770): 'Nam quid de ipso Iove dicemus, quem Solem esse dictavere sapientes . . . . aethera nonnulli flagrantem, vi flammea atque ardoris inextinguibili vastitate?' Iovem per aetherem explanare, quae explicatio arte cum illa altera Iovem eundem

1) Philo eam iam adhibuit de m. opif. 2 C; leg. ad Gaj. 992 D alibi (Zeller III 2, 355 adn. 6).

esse ac caelum cohaeret[1]) Stoicorum proprium fuisse Kahlius p. 771 intellexit; nam cum alii tum Varro (l. l. V 65) eam abhibuit. Praeterea Iovem Solem esse, id quod ex oraculo Apollinis Clarii (v. supra p. 19) elucebat, apud Macrobium sat. I 23, 2 sq., quem locum Cornificii Stoici nomine praescripto totum ad Stoicos redire verisimile est, narratur.

De Mercurio dicit Arnobius III 32 (Kahl p. 772): 'Mercurius etiam quasi quidam Medicurrius dictus est: et quod inter loquentes duo media currat et reciprocetur oratio, nominis huius concinnata est qualitas. Ergo si haec ita sunt, non est dei Mercurius nomen, sed sermonis reciprocantis et vocis.' Adiungendum est hic illud Macrobii sat. I 12, 21 (Kahl p. 766): 'Mercurium ideo illi in sacris adiungi dicunt, quia vox nascenti homini terrae contactu datur; scimus autem Mercurium vocis et sermonis potentem' et Macr. sat. I 19, 7 (Kahl p. 772): 'Mercurius sermonem impertit' et Lydi de mens. IV 80 p. 132, 11 W (Kahl p. 766): *Νουμήνιος ὁ Ῥωμαῖος*[2]) *τὸν Ἑρμῆν τὸν προχωρητικὸν λόγον εἶναι βούλεται.*

Dicendi facultatem hominibus a Mercurio dari iam Varro Stoicus contenderat apud Augustinum de c. d. VII 14 (Agahd l. l. p. 117): 'Mercurium . . . . operibus hominum praeposuerunt sermocinandi administrum'; et de c. d. VII 30: 'qui sermonis facultatem usumque donavit.'

1) Zeller l. l. III 1, 137 adn. 1.

2) Auctoris nomen corruptum est; traditur a codd. X *Μούμμιος*, Y *Νουμίνιος*. Suspicari licebit hic *Μούμμιος* in *Νουμήνιος* mutatum esse secundum cap. 83, ubi *Νουμήνιος* laudatur (p. 135, 13 W.). Utut res se habet, de Neophythagoreo Numenio, cum non Romae, sed Apameae in Syriae oppido natus sit, cogitari non posse Kahlius p. 766 recte statuit Cf. Th. Litt, De Verrii Flacci et Cornelii Labeonis libris de fastis, diss. Bonn 1903, p. 29 adn. 2.

Quod porro hic deus a Lydo *λόγος προχωρητικός* appellatur, haec significatio omnino non intellegi potest nisi Stoica ex doctrina, e quorum logica disciplina effluxit (Zeller III 1 p. 57; 328). Stoici enim idem esse docebant, quod, dum in mente versatur, sententia, cum edictum sit, enuntiatum appelletur; graecis nominibus illum *λόγον ἐνδιάθετον*, hunc *λόγον προφορητικόν* vel *προχωρητικόν* appellabant (Kahl p. 766 sq.); v. Heracliti alleg. hom. 72, 142, p. 95 Oelmann: *διπλοῦς ὁ λόγος. τούτων δ' οἱ φιλόσοφοι* (h. e. *οἱ Στωικοὶ*) *τὸν μὲν ἐνδιάθετον καλοῦσι, τὸν δὲ προφορικόν. ὃ μὲν οὖν τῶν ἔνδον λογισμῶν ἐστὶ διάγγελος, ὃ δ' ὑπὸ τοῖς στέρνοις καθεῖρκται.*

Duplicis huius *λόγου*, qui vocatur, exemplum Stoici Mercurium et inferum (*χθόνιον*) et deorum nuntium (*διάκτορον*) adhibebant; v. Heraclit. l. l. p. 95, 11 sqq. Oelm.: *τί οὖν διπλᾶς καὶ διχρόνους διένειμε τῷ θεῷ* (*Ἑρμῇ*) *τιμάς, τὴν μὲν ὑπὸ γῆν χθονίαν, τὴν δ' ὑπὲρ ἡμᾶς οὐράνιον; ἐπειδὴ διπλοῦς ὁ λόγος* . . . . 19. *διὰ τοῦτ' οὖν Ὅμηρος τὸν μὲν ἐνδιάθετον εἶπε χθόνιον, τὸν δὲ προφορικὸν* . . . . *ἐν οὐρανῷ κατῴκισεν.*

Quod Kahlius p. 772 causa non allata in dubium vocat a Labeone Mercurium quoque solaribus deis attributum esse, non habemus, quod ei assentiamur; nam non modo illo loco Macrobii auctor Mercurium ad Solem referre studet,[1]) sed etiam omnes fere deos mares ad Solem, deas ad terram adiungi a Labeone aut vidimus aut videbimus.

Ita Martem quoque ad Solem referri e Macrobio I 19, 39 (Kahl p. 772) cognoscimus; de quo fragmento fusius agere operae pretium non est, cum sententia nimis vulgata sit.

1) v. Macr. I 19, 7 sqq.

Vulcanum apud Arnobium III 33 ignem esse demonstratur; quam explanationem non a Stoicis abhorruisse iam Kahlius p. 773 adn. 135 evicit.

Pluto oraculo Apollinis Clarii Sol dictus est (v. supra p. 19). Quam sententiam, ut intellegeret, Kahlius ad Neoplatonicorum scripta confugiendum sibi esse putavit. Sed hic quoque Neoplatonici priorum vestigia presserunt. Nam Stoici, cum omnes vulgares deos partes vel nomina illius summae potestatis naturalis, quae Iuppiter vel alio nomine vocabatur, putarent esse, eius numinis infimam partem Plutonem esse non negabant.[1])

Quibus perpensis paucis verbis complectamur, quae de Labeonis studiis e fragmentis adhuc tractatis didicerimus. Vidimus Labeonem id studuisse, ut demonstraret deorum singulorum nomina referenda esse ad summum deum, qui solis radiis totum mundum penetrat et cuncta gignit. Cuius rei testimonia Labeo Stoicorum ratione usus invenit in eis doctrinis, quas vel mythici fabulose vel physici naturalium rerum ratione habita de diis proferebant; nullo loco coacti sumus concedere eum adhibuisse placita Neoplatonicorum propria. Quod cum consideremus, vix Kahlii sententiam accipere possumus, qui p. 763 tantam solis venerationem posterioribus demum post Christum natum saeculis viguisse affirmavit Aureliani imperatoris exemplo usus, qui, cum ipse quoque Solis dei pontifex fuisset, huius cultum pervulgavisset. Quod ullius ponderis nostrae quaestioni

1) Zeller l. l. III 1, 325; Wuensch, Arch. Rel. Wiss. XII, 7. Philodem de piet. c. 11 (Chrysippi frg. 1076 Arnim vol. II p. 315): *καὶ Δία μὲν εἶναι τὸν περὶ τὴν γῆν ἀέρα, τὸν δὲ σκοτεινὸν Αἴδην*. Diod. 1 25: *Διόνυσον, οἱ δὲ Πλούτωνα . . . τινὲς δὲ Δία . . . τὸν αὐτὸν νενομίκασιν*; cf. Cornut. c. 5 p. 4 L.; Heraclit. alleg. hom. p. 37 Oelm.

esse negandum est. Nam eius cultus principia in antiquiora Graecorum tempora pertinebant,[1]) ad quos ex oriente opiniones de Sole stellarum errantium moderatore totiusque mundi domino pervenerunt, quae deinde a philosophis excolebantur. Inprimis autem ad Stoicorum hylozoismum, qui vocatur, optime quadrabant (Zeller III 1, 136 sq.). Itaque Stoici eum cultum primi in philosophiam et theologiam receperunt; quorum philosophiae Diogenes Babylonius, qui vixit secundo ante Christum natum saeculo (Zeller III 1, 44), aperte Chaldaeorum doctrinas accommodare studuit; ante quem iam Cleanthes mundanum deum in Sole esse docuerat (v. supra p. 23). Summi autem momenti solis venerationi augendae fuit, quod etiam Posidonius, stoicus ille primi ante Christum natum saeculi celeberrimus, huic Chaldaeorum opinioni favebat atque eam cum scholae suae theologia artissime coniunctam auctoritatis, qua utebatur, pondere pervulgavit. Quem magistrum Romani quoque philosophi secuti sunt. Iisdem fere verbis ac Posidonius Varro quoque et Cicero[2]) de solis potentia atque dignitate locuti sunt, quorum sententias accuratius perlustrare non a re erit. Posidonius deum spiritum igneum et intellegentem docebat esse, qui omnia penetraret et animaret deosque contineret. Doxogr. gr. p. 302, b, 19 Diels: *Ποσειδώνιος πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες τὸν θεόν*. Quocum conferas Ciceronem somn. Scip. c. 4 p. 373 sq. ed. Mueller: 'Mediam fere regionem sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum ceterorum, mens mundi et tempe-

1) Fr. Cumont, la théologie solaire du paganisme romain Paris. 1909 p. 7 sq.; cf. Wuensch, Deutsche Litt. Zeit. 1910, 3025 sqq.

2) in somnio, quod vocatur, Scipionis, de re publ. VI 17, vol. IV, 2 p. 373 M.

ratio, tanta magnitudine ut cuncta sua luce lustret et compleat.'

Plinius n. h. II 5, 13 e Varronis sententia dicit:[1]) 'Hunc (sc. Solem) esse totius mundi animam ac planius mentem, hunc principale naturae regimen ac numen credere decet.'

His in versibus illud inprimis observandum est, quod Sol id est deus 'mundi mens vel anima' appellatur. Hac in cogitandi ratione Labeonem cum Stoicis illis usque ad verbum congruentem videmus, cf. Lydum de mens. p. 108, 18 W et Macrobium sat. I 18, 15, 16 (supra p. 22 sq.). Quae cum ita sint, suspicari licet Labeonem, quae de Sole, summo deo, docuerit, illis philosophis debere.

Hanc coniecturam Labeonem Stoicorum scrinia compilasse ut firmemus, reliqua Labeonis fragmenta inspiciamus. Labeo, ut nonnullos deos mares ad Solem[2]) referebat, ita fragmentis quibusdam a Macrobio Arnobioque servatis simili ratione deas ad Terram reducere studebat priorum sententiis et mythicis et physicis nisus. Sed iam ad singula accedamus.

De M a i a dea agitur apud Macrobium sat. I 12, 20 (Kahl p. 764): 'Affirmant quidam, quibus Cornelius Labeo consentit, hanc Maiam, cui mense Maio res divina celebratur, Terram esse hoc adeptam nomen a magnitudine . . . adsertionemque aestimationis suae etiam hinc colligunt, quod sus praegnans ei mactatur, quae hostia propria est terrae.'

1) Varronem a Plinio compilari ex indice auctorum l. II apparet, v. Cumont p. 27.

2) Animo teneas Stoicis inter solem et caelum, dei summi sedes, differentiam non interfuisse; v. Cleanthem apud Cic. acad. II 41, 126; idem testatur Diog. VII 139 (Zeller III 1, p. 136 sq.). *Οὐρανος καὶ γαῖα* dei autem iam antiquissimis temporibus coniunctae colebantur, v. A. Dieterich, Mutter Erde² p. 17 sq.; 45 sq.

Arnob. III 32: 'Terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, Matrem esse dixerunt Magnam, eandem hanc alii . . . . Cererem esse pronuntiant, nonnulli autem Vestam.'

His in fragmentis nihil inesse Neoplatonicae doctrinae Kahlius ipse p. 763 sq. evicit; argumentis enim satis luculentis, quae ille ex Augustino et Varrone collegit, probatur hoc loco a Labeone Varronis thesauros compilari, id quod coniecturae nostrae optime favet.

Bona dea quoque ad Terram refertur apud Lydum de mens. IV, 80 p. 132 W. (Kahl p. 767) et Macrobium sat. I 12, 21 sq. (Kahl ibidem). Quae fragmenta exscribere non iuvat, cum argumenta aut nimis pervulgata sint aut ad Labeonis aetatem indagandam nihil valeant.

Sed iam ad alia progrediamur. Labeo enim non modo ad Solem et Terram deos rettulit, sed etiam luna ei digna videbatur, quam adeo divinam putaret, ut cum ea componeret Dianam Cererem Minervam.

Arnob. III 34 (Kahl p. 770): 'non indocti apud vos viri . . . . Dianam Cererem Lunam caput esse unius deae triviali germanitate pronuntiant neque ut sunt trinae dissimilitudines nominum, personarum dissidentias tres esse: Lunam his omnibus vocari atque in eius vocamen reliquorum seriem coacervatam esse cognominum.'

Id unum, quo quis hoc loco offendi possit — nam reliqua cum vulgaribus Graecorum et Romanorum opinionibus consentiunt[1]) —, Cererem ad lunam referri, Stoicorum fuisse Servius testis est, ad Georg. I 5: 'Stoici . . . . item Lunam eandem Dianam eandem

1) Diana saepe cum Luna comparatur, v. Ennium trag. v. 318 Vahlen, Catull. 34; Birt ap. Roscher. Lexikon der griech. u. röm. Mythol. I col. 1010.

Cererem eandem Iunonem eandem Proserpinam dicunt.' (Kahl p. 770.)

Minerva ad Lunam refertur apud Arnobium III 31 (Kahl p. 776): 'Aristoteles,[1]) ut Granius memorat.... Minervam esse Lunam probabilibus argumentis explicat et litterata auctoritate demonstrat. Eandem hanc alii aetherium verticem et summitatis ipsius esse summam dixerunt, memoriam nonnulli, unde ipsum nomen Minervae quasi quaedam Meminerva formatum est.'

Eas explicationes ad Stoicos et ipsum Varronem redire Kahlius p. 777 demonstravit.

Quibus expeditis commemorem tantum Labeonem praeterea de Neptuno et Venere et Proserpina et Vesta naturalium rerum ratione habita egisse (Kahl p. 773 sq.), sed e fragmentis cum perpauca sint diiudicari non potest, quam sententiam secutus sit.

Hisce e fragmentis, quibus de diis ad unum referendis agitur, concludit Kahlius p. 802 Labeonem in eis, quae de diis ad unum numen referendis proferat, de Neoplatonicorum placitis pendere et ab eisdem disserendi quoque totam rationem accepisse. At me demonstravisse spero in nullo fragmento inesse quidquam, quod e Platonicorum tantum doctrinis intellegi posset, immo ubique Stoicorum disciplinae et explanandi rationis commonefacti sumus. Quodsi id unum concedimus interdum fabulas explicandi via Labeonis simili Neoplatonicos quoque usos esse, id minime aptum est, quod Kahlii coniecturam confirmet.

1) Rose, Pseudoep. Aristoteles p. 616 hoc fragmentum tribuit Aristocli Varronis temporum grammatico; cui assensus est Kahlius p. 771 sq. Contra Bureschius l. l. p. 34 recte statuit Labeonem certe Aristotelis nomen e Granio hausisse, cum Macrobius de simili re locutus (sat. I 18, 1 sqq.) ipse quoque e Labeone Aristotelis nomen afferret. Labeo Granium Flaccum compilat, qui de indigitamentis librum Caesari dictatori dedicavit, v. Funaioli PW VII col. 1819 sq.

Facillime enim hoc ita explicari potest, ut sumamus Neoplatonicos eisdem magistris, quibus et Labeo utebatur, id est Stoicis usos esse, et adsentiamur necesse est Muelleneisenio, qui l. l. p. 46 Neoplatonicos, cum omnes deos solis emanationes esse putarent, Labeonis vestigia pressisse affirmavit. Huic opinioni mirum quantum favet, quod in illis Macrobii capitibus, ubi Iamblichus deos ad Solem refert,[1]) soli fere Stoici laudantur.

Sed ad Labeonis doctrinas redeamus. Quales nobis in fragmentis allatis occurrerunt, Kahlius rectissime ita amplexus est, ut diceret summum dignitatis gradum deos selectos, qui vocarentur, obtinere, quos Labeo non singulos servavisset, sed ad perpaucas mundi partes rettulisset, quae ipsae magnis illis sideribus comprehenduntur Solis, Lunae, Terrae formis. Unde patet Labeonem deos intra mundum versari vel potius mundi ipsius partes esse aperte docuisse. At longe alia est neque ullo pacto cum hac Stoicorum comparari potest Neoplatonicorum de summo deo doctrina.[2]) Neoplatonici enim deum transcendere mundum et a materia tam diversum esse docuerunt, ut secundum illos nullo modo deus summus ipse ad mundum pertineret vel etiam mundi pars existeret. Unde fieri non poterat, quin Neoplatonici orbem terrarum, quem summo ordine summaque pulchritudine esse non negabant, aliis quibusdam potestatibus divinis a summo deo diversis administrandum relinquerent[3]) (Zeller III 2, 482 sq.). Haec ad Labeonis

1) Macr. sat. I c. 17—23.

2) cf. Augustinum de c. d. VIII 1 sq., qui hanc differentiam multis verbis exponit.

3) Ita Iulianus quoque oratione IV (p. 168 sq. Hertlein), qua Solem summum deum et regem ceterorum celebravit, illam dei et materiae distinctionem agnovit, cf. IV 133 sq.; qua in oratione res est cum Helio deo, non cum sole sidere h. e. non in unum coeunt naturalis vis et dei persona (v. p. 172 C sq.).

doctrinas minime quadrant, cum summi momenti sit, quod ad pantheismum, qui imprimis Stoicorum proprius est, Labeonis de diis placita aptissime conveniunt; sententiae quales sunt 'deus idem qui mundus', 'deus anima vel mens mundi' apud hos illumque occurrunt.

Iam quaeramus, cuius Stoici philosophi vestigia Labeo presserit. Quod ut diiudicemus, meminisse nos oportet interdum Labeonem cum aliorum tum Posidonii et Varronis doctrinis nisum esse.[1]) Quaestio est, utrum Labeo Posidonium ipsum inspexerit an eius verba per Varronem vel Romanum quendam Varronis asseclam acceperit; sed cum hanc quaestionem nondum diiudicare possimus, hoc loco contentus ero contulisse quae sententiae Labeonis plane cum Posidonii et Varronis congruunt.

Vidimus enim supra p. 35 cum Posidonio Labeonem consentire quod attinet ad Solis, summi dei, venerationem, a Varrone autem fortasse ad Labeonem illam physicae et mythicae theologiae distinctionem transisse supra p. 26 elucebat. Accedit, quod Varro, cum vulgaris religionis deos physica ratione explanaret, non omnes pari potentia et dignos putavit esse, quos singulos tractaret, sed certum numerum potentiorum elegit, deos selectos quos cognominavit. Quorum nomina Augustinus de c. d. VII 2 tradidit; sunt autem hi: deorum Ianus, Iuppiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater; dearum Tellus, Ceres, Iuno, Luna, Diana, Minerva, Venus, Vesta; quorum deos ad caelum, deas ad terram rettulit Varro, cum Minervam exempla rerum, quas Plato ideas appellaret, significare vellet (Aug. de c. d. VII 28). Si has Varronis

1) Varro in theologia aperte de Posidonio pendet; Wendland p. 140, Agahd p. 84 sqq.

sententias singulas cum Labeonis comparamus, omnino exspectare non possumus Labeonem ad verbum cum Varrone congruere; facile enim fieri potuit, ut Labeo magistri doctrinas suis vel aliorum sententiis nisus paululum mutaret. Quod si observamus, negare id quidem non possumus Labeonem ubique fere cum Varrone aperte consentire. Iam Kahlius p. 802 sq. vidit ad unum omnia deorum nomina, quae Varro elegit, etiam apud Labeonem nobis occurrere, id quod casu quodam factum esse vix putes; accedit enim quod eodem fere modo ac Varro Labeo quoque eos deos ad Solem aut Terram reducit; quin etiam in eo aliquatenus consentiunt, quod Labeo Minervam, quam Varro solam dearum non ad terram redire putaverat, e terrestrium dearum circulo semovit et lunae tribuit. Quod autem Varro hic deos ad caelum, non ad Solem ut Labeo rettulit, non tanti aestimandum est, quia iam supra p. 35 Varronem Posidonio nisum in sole summum deum et ceterorum regem posuisse statuimus, id quod plane ad Labeonis sententiam quadrabat. Praeterea eius differentiae causam cognoscere licet; etenim cur Varro deos caelestes et deas terrestres distinxerit, docet Augustinus d. c. d. VII 28: 'ducitur enim quadam ratione verisimili, caelum esse quod faciat, terram quae patitur, et ideo illi masculinam vim tribuit (sc. Varro), huic femininam.' Caelum igitur gignere, terram omnia parere Varro putavit et ea de causa deos ad illud, deas ad hanc naturalem vim redegit; Labeonem vero fere idem docere potuisse, quod Varronem, concedendum est; nam sol ea potissimum caeli pars est, quae calore et luce terram animat.

Quibus perpensis ut, quae hac parte indagationis meae inveni, paucis verbis comprehendam, Labeonem ea, quae de diis superioribus et selectis docebat,

Stoicis, inprimis Posidonio vel Varroni aut ipsis aut per ambages debere confirmaverim.

§ 2. De diis bonis et malis.

Augustinus et Arnobius nonnulla Labeonis fragmenta nobis tradiderunt, e quibus eum deos divisisse in bonos et malos elucet. Quae res primo obtutu nos offendit, nam supra vidimus Labeonem deos complures cum rebus naturalibus coniunxisse, qua re singulis sublatis personis naturae modo vires eveniebant, quas per se neque bonas neque malas esse re ipsa apparet (Kahl p. 803). Kahlius, quem haec difficultas non effugit, Zelleri (III 1, p. 297) exemplum secutus eam hoc modo tollere vult (p. 779 sq.), ut Labeonem non deos sed potius daemones bonos et malos in animo habuisse contendat, quorum formas e Neoplatonicorum doctrinis sumpserit. Sed ex ipsis verbis Kahlii facile cognoscimus eum hanc coniecturam fecisse ea re inprimis commotum, quod iam antea Labeonem aliquid rationis cum Neoplatonicis habere sibi persuaserat (p. 782) et ea de causa in his quoque Labeonis doctrinis similem quandam Platonicorum sententiam reperire studebat. Contra Kahlium inprimis hoc dicendum est in his fragmentis semper deorum vel numinum, nusquam autem daemonum nomina afferri et deos atque daemones subtiliter distinxisse Labeonem Augustini libro de. c. d. IX 1 (v. infra p. 44) demonstrari. Praeterea de diis non de daemonibus Labeonem illa dixisse ex Augustini loco de c. d. VIII 13 effici potest. Qui postquam Platonis vel Platonicorum sententiam attulit omnes deos bonos esse neque omnino quemquam malum, quippe qui, si non boni essent, dei veri putari non possent, pergit hisce verbis: 'Hoc sit ita est (nam de diis quid aliud decet credere?) illa profecto vacuatur

opinio, qua nonnulli putant deos malos sacris placandos esse, ne laedant, bonos autem, ut adiuvent, invocandos. Mali enim nulli sunt dii; bonis porro debitus, ut dicunt, honor sacrorum est deferendus.'

Apertis verbis hic Augustinus deis Platonicorum, qui boni sunt, eos opponit, quos alii philosophi deos putant et bonos et malos, cum non, ut Neoplatonici, bonum esse deum ipsius natura posci doceant; dii igitur inter se, non daemones cum diis comparantur. Ac Labeonem hic impugnari proximis verbis aperte fit: 'Qui Labeo numina mala victimis cruentis atque huius modi supplicationibus placari existimat, bona vero ludis et talibus, quasi ad laetitiam pertinentibus rebus'. Quae numina deos esse non daemones luce clarius fit ex eis, quae sequuntur, enuntiatis; quibus Plato semideus aperte Labeonis, quos adhibuit, deis opponitur: 'Quid est ergo, quod semideus Plato non semideis, sed deis, et hoc bonis, illa oblectamenta, quia iudicat turpia, tam constanter audet auferre? Qui sane dii refellunt sententiam Labeonis; nam se in Latinio[1]) non lascivos tantum atque ludibundos, sed etiam saevos terribilesque monstrarunt.' Haec sufficiant, ut demonstretur Labeonis deos bonos et malos cum Neoplatonicorum daemonibus comparandos non esse. Sequitur, ut Labeonem hac doctrina plane a Neoplatonicis abhorrere statuamus. Quae sententia ut confirmetur extrema Augustini capitis verba summi momenti sunt: 'Exponant ergo nobis ista Platonici, qui omnes deos secundum auctoris sui sententiam bonos et honestos et virtutibus sapientium socios esse arbitrantur aliterque de ullo deorum sentiri nefas habent.' Luce clarius Labeoni Neoplatonicos Augustinus opponit, ut nullo modo dubitari possit,

1) Hanc fabulam Augustinus de c. d. IV 26 multis verbis tractat.

quin is quidem Labeonem Neoplatonicum esse non existimaverit.

Quae cum ita sint, ne id quidem omni pondere carere videtur, quod Augustinus capite praecedenti, ubi 'recentiores philosophos nobilissimos, quibus Plato sectandus placuit', affert, Labeonis nomen non commemorat, de c. d. VIII 12: 'Ex quibus (Platonicis) sunt valde nobilitati Graeci Plotinus, Iamblichus, Porphyrius; in utraque autem lingua, id est et Graeca et Latina, Apuleius Afer exstitit Platonicus nobilis.' Non dubium est, quin Augustinus etiam Labeonis nomen allaturus fuerit, quem adversarium haud ignobilem aliis locis oppugnat, si vere Neoplatonicus fuisset.

Sed iam redeat, unde aberravit, oratio. Haud secus ac loco Augustini commemorato ii, qui bonos et malos deos putant esse, ab eodem Augustino describuntur de c. d. IX 1:[1]) 'illi, qui deos quosdam bonos, quosdam malos esse dixerunt, daemones quoque appellavèrunt nomine deorum, quamquam et deos, sed rarius, nomine daemonum, ita ut ipsum Iovem .... ab Homero fateantur daemonem nuncupatum. Hi autem (Platonici), qui omnes deos non nisi bonos esse adserunt .... merito moventur daemonum factis, quae negare non possunt, eaque nullo modo a diis, quos omnes bonos volunt, committi posse existimantes differentiam inter deos et daemones adhibere coguntur.'

Ex eo, quod Labeo daemones quoque deorum nomine appellavit, concludere possis Labeonem deos a daemonibus non secrevisse; quod non licet; nam cum Labeo non modo deos et semideos, sed etiam heroes distinxerit (v. supra p. 43 et infra p. 50), fieri non potest, quin daemonibus quoque separatas inter

1) Distinctio illa inter bona et mala numina praeterea apud Augustinum invenitur hisce locis nihil novi afferentibus: d. c. d. II 11 et IV 26.

numina (v. p. 50) sedes tribuerit. Quod si sumimus, sequitur, ut Labeonem bonos et malos deos atque bonos et malos daemones tamquam bonorum et malorum numinum genera secrevisse statuamus. Valde autem abhorrent, quae Neoplatonici de daemonibus docebant; quos, cum nullos deos nisi bonos putarent, daemones bonos et malos, suum regnum proprium obtinentes inter deos et homines agnovisse ex hoc ipso Augustini loco elucet. Ita hac quoque sententia Labeo et Neoplatonici plane divergunt (Kettner l. l. p. 33)

Idem Augustinus de c. d. III 25 nomina eorum deorum bonorum et malorum, quae Labeo adhibuit, servavit: 'An ulla ratio redditur, cur Concordia dea sit, et Discordia dea non sit, ut secundum Labeonis distinctionem bona sit ista, illa vero mala? Nec ipse aliud secutus videtur quam quod advertit Romae etiam Febri, sicut Saluti, templum constitutum.'[1])

Arnobius quoque deorum istorum nonnulla nomina praebet III 26 (Kahl p. 778): 'Non commemorabimus hoc loco deam Lavernam furum, Bellonas Discordias Furias et laeva illa quae constituitis numina taciturnitatis silentio praeteribimus.' Idem VII 36: 'discordias alios ex his (diis) vos, alios dicitis qui pestilentias inrogent, alios qui amores, qui furias, alios vero qui praesint bellis et sanguinis effusione laetentur.' Iidem dei alio nomine laudantur apud Arnobium IV 5: 'dii laevi, deae laevae sinistrarum tantum regionum sunt praesides et inimici partium dexterarum'. Et VII 19: 'superis diis atque ominum dexteritate pollentibus color laetus acceptus est ac felix hilaritate candoris, at vero diis laevis sedesque habitantibus inferas color furvus est gratior et tristibus suffectus e fucis.'

1) Similia habet Arnobius adv. gent. VII 23.

Summi momenti est, quod Arnobius Labeonem secutus illa numina bona et mala alia significatione 'dextera et laeva' appellat; quam ob rem de Neoplatonicorum daemonibus, inter quos ita non distinguitur, cogitari non posse Kahlius ipse sensit (p. 782 sq.). Immo, cum alia ratione explananda illa numina essent, Kahlius iure ad Etruscam disciplinam nos relegavit. Nam scimus[1]) Etruscos ad fulgura observanda caeli vel quattuor[2]) vel etiam sedecim[3]) partes numeravisse, ut accurate cognoscerent, unde fulmen veniret. Tali modo regiones, cum qui observabat meridiem spectaret, dexterae et laevae effectae sunt, ita quidem, ut eae caeli partes, quae ad orientem solem spectant, laevae, quae ad occasum vergunt, dexterae vocarentur. Deorum autem bonos in laevae, malos in dexterae regionis sedibus collocaverunt,[4]) unde Etruscos quoque deos et bonos et malos eosdemque et dexteros et laevos novisse apparet. Apud Martianum Capellam,[5]) qui Nigidium Figulum, philosophum Pythagoricum et rebus Etruscis studiosum sequitur,[6]) legimus etiam deorum nomina et, quo ordine in singulas regiones divisi sint, cognoscimus. Quae cum inspicimus, illud nos offendit, quod cum alia tum Iovis Iani Minervae Plutonis Cereris

1) v. C. Thulin, die etruskische Disciplin, Goeteburg 1906, p. 16 sqq.

2) Varro apud Augustinum d. c. d. VII 7.

3) Plinius n. h. II 54.

4) Quo fit, ut Arnobius bonos deos dexteros et malos laevos vocaverit v. Kahlium p. 783.

5) De nuptiis Philologiae et Mercurii I 45 sq. p. 17 ed. Eyssenhardt.

6) Thulin, die Götter des Martianus Capella, R. G. V. V. III 1, p. 82 sqq., ibi refellitur Schmeisseri opinio (die Etrusk. Disc. 35 adn. 165), qui Labeonem a Martiano hoc loco adhibitum esse contenderat.

Telluris Vulcani Liberi Neptuni Genii Saturni Iunonis nomina invenimus, qui omnes aut boni aut mali putantur esse. Quod neque ad Labeonis de diis selectis opinionem, quae in fragmentis (supra p. 39 sqq.) occurrebat, neque ad numinum bonorum et malorum, quae Labeo agnoscebat, nomina quadrat; praeter Discordiam et Salutem, quae apud Labeonem et Martianum redeunt, Labeo etiam Concordiae, Bellonae, Lavernae, Febris nomina praebuit, quae frustra apud Martianum quaeris. Quam differentiam, quae inter Labeonis et Etruscorum placita patet, eo explicare possumus, ut dicamus ab Etrusca disciplina singulis dis certam atque definitam indolem aut bonam aut malam tribui, Labeonem autem, cum illam disciplinam cognovisset, distinctionem ipsam quidem recepisse, id quod vocibus 'dextera et laeva' probatur, sed eam ad deos modo inferiores quosdam, qui ipsi natura boni aut mali essent, adhibuisse, cum deos selectos Stoicorum exemplum secutus cum naturalium rerum ratione coniunxisset.[1]) Iam inquiramus, ubi talium numinum formas invenire potuerit. Quarum nonnullas ut Discordiam et Salutem ex Etrusca disciplina eum sumere potuisse iam commemoravimus. Sed quaeritur, utrum Labeo ipse Etruscorum scripta inspexerit. Cum autem supra p. 30 viderimus Labeonem Nigidii Figuli, quem rebus Etruscis inprimis studuisse constat,[2]) libros in usum vocasse, verisimile est Labeonem hic quoque ad Nigidium Figulum redire.

1) Nescio autem an Labeo quoque ut Varro praeter theologiam physicam etiam civilem (s. p. 26) agnoverit ita, ut easdem naturas pro viribus physicis et pro deis personalibus haberet. Quod si fecit, fortasse etiam in deos selectos illam distinctionem Etruscam adhibuit; sed e fragmentis de tali eius consilio nihil apparet.

2) frg. 68 sqq. p. 83 sqq. Swoboda. Thulin PW VI col. 729.

Sed Bellona Laverna Febris e cultu Romano receptae sunt,[1] quem Labeonem Varronis exemplo usum respexisse statuere possumus. Quantum ad philosophos, a quibus hanc sententiam accipere potuit, id unum satis constat, de Neoplatonicis cogitari non posse, quippe qui omnes deos bonos esse putaverint. At nonnulla sunt, quae ad Stoicos nos ducant. Plutarchus enim, cum quales deos Stoici agnovissent, quaereret, eos in septem ordines deos divisisse tradidit; quorum nobis hic res est cum secundo vel tertio; Aetii Plac. I 6, 12, Doxogr. p. 296[2] Diels: *εἰς δεύτερον δὲ καὶ τρίτον τόπον τοὺς θεοὺς διεῖλον εἴς τε τὸ βλάπτον καὶ τὸ ὠφελοῦν· καὶ τοὺς μὲν ὠφελοῦντας Δία Ἥραν Ἑρμῆν Δήμητραν, τοὺς δὲ βλάπτοντας Ποινὰς Ἐρινύας Ἄρην, τούτους ἀφοσιούμενοι χαλεποὺς ὄντας καὶ βιαίους.* His in verbis nonnulla inesse quae ad Labeonis placita quadrarent, iam Kahlius p. 781 vidit. Sed altius indagare licet. Augustinus enim memoriae tradidit Varronem praeter illos deos selectos, quos ad caelum aut terram referebat, etiam minora quaedam famae vulgaris numina agnovisse. Cum iam supra (p. 40 sq.) Labeonem Varronis placitis imbutum fuisse viderimus, non omni probabilitatis specie suspicio caret eum, quos deos bonos et malos distinxit, a Varrone accepisse. Optime ad hanc opinionem quadrat, quod illas ipsas, Lavernam Bellonam Febrim Concordiam deas Varroni quoque non ignotas fuisse scimus; de l. l. V 164: 'hinc Lavernalis (porta) ab ara Lavernae, quod ibi ara eius.' Aug. de c. d. IV 24: 'a bello Bellonam nuncupaverunt'; cf. de l. l. V 73. Aug. IV 23: 'an forte iuste est indignata Felicitas, quod et tam sero et non ad

1) Wissowa, Religion u. Kultus d. Römer[2] 151 sq.; 236; 245 sq.

2) Zeller III 1, 317 adn. 3; Wendland, hellen.-röm. Kultur[2] p. 114.

honorem, sed ad contumeliam potius invitata est, ut cum ea coleretur Priapus et Cluacina et Pavor et Pallor et Febris et cetera non nomina colendorum, sed crimina colentium?'[1] Aug. ibidem IV 24: 'Concordia, quae concordiam dat.'[2]

Iam vidimus Labeonis theologiam non modo Stoicae philosophiae sed etiam cultus Romani et Etruscae disciplinae elementa in unum coniuncta exhibere, id quod cum Stoicorum studio cohaerere consentaneum est vulgi fidem in theologiam recipere. Tali modo magna quidem discrepantia sententiarum Labeonis oritur, qui praeter vires naturales divinas etiam deos personales agnoverit. Sed ea res non tanti aestimanda est, quod Stoicorum doctrinis firmatur, qui, cum vulgarem fidem placitis physicis aequarent, plane neglegebant inter deos vulgares personales, qui hominibus favent, et naturae vires impersonales, quae ad mundum pertinent, insuperabilem fere differentiam patere (ut Wendlandii verbis utar, l. l. p. 111). Quam non convenisset tale studium Labeoni, si vere Neoplatonicus fuisset, apparet; nam ut alia omittam, omnino Neoplatonicos Etruscae disciplinae placita accepisse nusquam traditur, neque verisimile est, cum ad eorum philosophiam illae tetricae ac tristes doctrinae minime quadraverint (Kahl p. 802).

§ 3. De semideis.

Quid Labeo de semideis docuerit, e fragmentis, quae apud Augustinum inveniuntur, aegre intellegere possumus, cum admodum pauca sint. Duobus locis, de c. d. II 14 et VIII 13 Labeo semideorum nomina affert, quorum in numero non modo Herculem Romulum alios, sed etiam, id quod magni momenti

1) Varr. ant. I frg. 43, Agahd p. 159.

2) Varr. ant. XIV frg. 91, Agahd p. 182.

videtur esse, Platonem philosophum habuit. V. Aug. de c. d. II 14 (Kahl 784): 'Platonem Labeo inter semideos commemorandum putavit, sicut Herculem, sicut Romulum. Semideos autem heroibus anteponit; sed utrosque inter numina conlocat.'

Quae Labeonis verba iamdudum viri docti maxime idonea esse putaverunt, quae demonstrarent Labeonem Neoplatonicorum partes secutum esse. Conferas velim Muellerum (p. 36) Kettnerum (p. 23 sq.) Kahlium (p. 785) Niggetietium (p. 20). Sed ubi antiquorum scripta inspicimus, statim nobis occurrit Platonem iam paulo post mortem et a permultis scriptoribus deum vel divinum appellatum esse. Nonnullis exemplis rem confirmabo.[1]) Platonem iam Speusippi temporibus Apollinis filium vocatum esse cum alii tum Apuleius[2]) memoriae tradiderunt. Praeterea Dionysius Halicarnassensis[3]) eum *δαίμονα* vel *δαιμονιώτατον* nominat, et divinis honoribus dignus fuisse illi videtur viro, cui de sublimitate libellus debetur.[4]) Licet ea exempla non e philosophis hausta non tanti momenti nostrae quaestioni esse videantur, tamen omni pondere adversariorum argumentum eo privatur, quod etiam Stoicos tantam Platonis aestimationem habuisse docemur. Nam Panaetius, cum alios philosophos magni aestimaret, Platonem tanta admiratione prosequebatur, ut crederes illum non Zenonem secutum esse, sed potius Platonis scholae se adscivisse.[5]) Cuius rei Cicero testis est, Tuscul. I 79: 'credamus igitur Panaetio a Platone suo dissentienti? quem enim omnibus locis divinum,

1) Plurima collegit Pape, Woerterbuch der griechischen Eigennamen sub voce *Πλάτων*.

2) De Platone et eius dogmate; cf. Zeller II 1, 435 adn. 1.

3) de vita Demosthenis 26, 7.

4) *περὶ ὕψους* 4,5 ed. Jahn-Vahlen p. 10.

5) Zeller III 1, 560.

quem sapientissimum quem sanctissimum quem Homerum philosophorum appellat.'

Haud secus Posidonius eius discipulus Platonem tantopere admiratus est, ut eum divinum esse non negaret.[1]) Galen. de Hipp. et Platone IV 7 Iv. Mueller: *καίτοι καὶ τοῦ Πλάτωνος θαυμαστῶς γράψαντος ὡς καὶ ὁ Ποσειδώνιος ἐπισημαίνεται θαυμάζων τὸν ἄνδρα καὶ θεῖον ἀποκαλεῖ.* Quae cum ita sint, facile fieri potuit, ut iam diu ante Neoplatonicorum tempora Romani quoque Platonem in semideis ponerent; nam apud illos Posidonii libros permagni valuisse supra p. 35 vidimus. Quare minime licet concludere Labeonem, quia Platonem tanti aestimavit, post Neoplatonicorum tempora viguisse.

Quibus expeditis longius procedere possumus; nam his ipsis Labeonis fragmentis (Aug. de c. d. II 14 et VIII 13) confirmatur id quod supra coniecimus Labeonem Stoicum philosophum fuisse; etenim viri docti adhuc neglexerunt Labeonem cum Platonem tum Herculem Romulum Aesculapium inter semideos commemoravisse; quod apparet ex Arnobii l. III 39 (frg. 26 Muelleneisen): 'sunt praeterea nonnulli, qui ex hominibus divos factos hac praedicant appellatione signari, ut est Hercules Romulus Aesculapius Liber Aeneas.'

Ea res aperte nos ad Stoicos refert[2]); nam illi priorum temporum viros insignes, quos homines adiuvisse fama erat, cultu affici non inviti patiebantur. Quin etiam ex illis nonnullos vulgaris religionis deos factos esse contenderunt. Atque commode accidit, quod iidem ipsi, qui apud Labeonem, etiam apud

1) ibidem III 1, 578.

2) Zeller III 1, 316 sq.; A. Elter, Donarem pateras, Progr. Bonn 3. 8. 1907 p. 7 sq.; p. 40.

vetustiores Stoicos semidei occurrunt; apud Ciceronem[1]) legimus de n. d. II 24, 62: 'Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam ... hinc etiam Romulus .... quorum cum remanerent animi atque aeternitate fruerentur, dii rite sunt habiti'. Idem testatur Varro apud Servium interpol. Aen. VIII 275, frgm. 22c p. 153 Agahd: 'Varro dicit deos alios esse qui ab initio certi et sempiterni sunt, alios qui immortales ex hominibus facti sunt: et de his ipsis alios esse privatos, alios communes .... communes, quos universi (sc. colunt), ut Castorem Pollucem Liberum Herculem.' Etiam eam ob rem hi heroes a Stoicis colebantur, quod illis in sapientium numero erant, quorum veneratio Stoicorum inprimis propria erat.[2]) At apud Neoplatonicos Herculem reliquosque ea auctoritate fructos esse notum non est.

§ 4. De singulis daemonibus.

Daemonum nomen non nisi in duobus Labeonis fragmentis invenimus; quare de eius daemonologia admodum pauca enucleari possunt. Ex Augustini libro IX 1, quod Labeonis fragmentum supra (p. 44) iam allatum est, elucebat Labeonem daemonibus naturam aliam ac deis et sedes secretas non tribuisse, id quod a Neoplatonicorum doctrinis abhorret.

Alterum fragmentum, quod iam perscrutaturus sum, exstat apud Augustinum de c. d. IX 19 (Kahl p. 784): 'nonnulli istorum, ut ita dixerim, daemonicolarum, in quibus et Labeo est, eosdem perhibent

1) qui hic Stoicos secutus est, Schanz l. l. I 2, 362, Arnim l. l. praef. p. XXX.

2) Seneca, de const. II 1 (Zeller III 1, 269).

ab aliis angelos dici, quos ipsi daemones nuncupant, ... isti esse non negant, sed eos bonos daemones vocare quam angelos malunt.' Ubi Augustinus voce 'daemonicola' omnes illos complectitur, quos de daemonibus disseruisse antea narraverat, id est Neoplatonicos, inprimis Plotinum et Apuleium[1]); quibus Labeonem adiunxit, cum is quoque daemones colendos esse putaret. Sed ex hac re sola Labeonem Neoplatonicum fuisse minime licet concludere. Praeterea e Serv. Dan. ad Aen. III 168[2]) apparet secundum Labeonis sententiam daemones non animas hominum mortuorum, sed alias quasdam naturas fuisse.

Labeo igitur, ut paucis verbis eius doctrinam complectamur, daemones et bonos et malos esse docuit, quos diligenter ab animis mortuorum distinxit, daemones autem bonos cum angelis comparavit. Sed etiamsi Labeonem daemones cum Neoplatonicis consentientem descripsisse et cum angelis comparavisse concedimus, id certe affirmare possumus nihil huic doctrinae inesse, quod non iam ante Christum natum vel primo saeculo post a philosophis dici potuerit.

Quod ut demonstremus, ad eius doctrinae fontes indagandos accedamus. Daemones et boni et mali Democrito iam noti fuerunt,[3]) aperte autem discernuntur a Xenocrate, illo Platonis discipulo,[4]) qui a convivii p. 202 C orsus, ubi Plato daemones bonos esse et animas mortuorum disseruit, docet daemones animas esse hominum corporibus vel post mortem vel ante ortum ipsum liberas ita, ut boni homines boni daemones evadant, cum mali fiant daemones

1) Aug. de c. d. IX cap. 17 sq. 12 sqq.

2) de hoc loco infra p. 58 verba faciemus.

3) Sext. Math. IX 19 sq. Zeller I^5 937 sq.

4) Heinze, Xenocrates p. 95 sq. Plut. de def. orac. 13 p. 417^b sq.; frgm. 24 Heinze.

mali.[1]) Xenocratis placita, quae de daemonibus protulit, accepta atque expleta sunt cum ab aliis tum a Stoicis. Qui illius sententiam mutaverunt eo modo, ut daemones dilucide ab heroibus h. e. ab animis bonis mortuorum discernerent.[2]) Tali ratione usus Chrysippus et malos daemones esse dixit, qui a dis exhiberentur, ut iniustos et impuros homines castigarent.[3]) Itaque illud Niggetietii (p. 35) sane praeproperum videtur esse negantis Labeonem Stoicorum vestigia pressisse, quoniam distinxerit inter bonos et malos daemones. Immo plane Labeo cum Stoicis consentit, quippe qui et bonos et malos daemones agnoverint et eos diligenter ab animis mortuorum secreverint. Neque magni momenti est, quod Posidonius Stoicus Xenocratem secutus daemones animas hominum bonorum esse docuit[4]); Labeo itaque, quod ad doctrinas de daemonibus prolatas attinet, artius ad ceteros Stoicos quam ad Posidonium se applicavit.

Quod vero Niggetiet p. 25 sqq. Labeonis daemonologiam cum Porphyrii comparat, ut Labeonem Neoplatonicum fuisse demonstret, tenendum est vel

1) Quod Niggetiet p. 35 ut Heinzii sententiam venditat Xenocratem et Plutarchum non dilucide distinxisse inter daemones bonos et malos, sed omnes daemones et bonos et malos hominibus, si fieri posset, incommoda inferre putasse, eum effugit, Heinzium hic non de Xenocratis, sed potius vulgi daemonibus verba facere, id quod iam e sententiis, quas Heinzius p. 96 praemisit, elucet.

2) Laert. Diog. VII 151 (Chrysippi frg. 1102 Arnim II p. 320): *φασὶ δ' εἶναι καί τινας δαίμονας ἀνθρώπων συμπάθειαν ἔχοντας ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων . . . καὶ ἥρωας τὰς ὑπολελειμμένας τῶν σπουδαίων ψυχάς.* Cf. Aet. I 8, 2 Dox. 307ª 9: *οἱ Στωικοὶ δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς. εἶναι δὲ καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων· . . . . καὶ ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθάς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας.*

3) Chrysippus apud Plut. de Stoic. rep. c. 37 (Heinze p. 97).

4) Sext. Emp. adv. math. IX 71 (Heinze p. 98).

in his sententiis consensum Labeonis cum Platonicis eo explicari posse, quod etiam tales Platonici priorum sententias acceperunt.

Certiorem autem, quam omnia, quae adhuc inspeximus, terminum post quem Labeo vixit, illud praebere videtur, quod ab eo daemones cum angelis comparabantur. Quam comparationem nos ad christianos ducere dicat quispiam. Nam in horum religione permultum angeli[1]) valebant, ad quos illos a Iudaeis pervenisse constat, quorum in religione vulgari nuntiorum dei munere fungebantur. Sed cum iam Alexandri Magni aetate Iudaeorum placita Graeci cognoverint,[2]) sequitur nihil obstitisse, quominus talem daemonum angelorumque comparationem ex illorum doctrinis sumerent, id quod per se iam ante Christum natum fieri potuit; nam a Graecorum religione populari angelos et daemones saepius comparatos esse, ex quo tempore Iudaeorum theologia planius pervolgabatur, id est secundo vel primo ante Christum natum saeculo, demonstrari potest. Minoris momenti, quippe quae a Iudaeorum secta aperte pendeat, inscriptio quaedam est secundi fere ante Christum natum saeculi, in qua angeli dei commemorantur:[3]) *κύριε ὁ πάντα ἐφορῶν καὶ οἱ ἄγγελοι θεοῦ.* Sed graeci sunt *οἱ ἄγγελοι οἱ καταχθόνιοι*, qui occurrunt in Attica quadam defixionis tabella:[4]) *καταγράφω καὶ κατα[τί]θω ἀγγέλοις καταχθονίοις Ἑρμῇ καταχθονίῳ καὶ Ἑκάτῃ καταχθονίᾳ* et qs.[5]) Quantum ad philosophos, certiora

1) Heinze p. 112 sqq.; Buresch Klaros p. 54 sqq.

2) Zeller III 2, p. 245 sq.

3) Wilhelm, Österr. Jahresh. IV 1901 Beibl. 10.

4) Ziebarth, Gött. Nachr. 1899, p. 128; Dieterich, Mithrasliturgie p. 49 adn. 2.

5) Saepius graeci angeli in papyris magicis inveniuntur; pap. mag. Berol. I 300; 317, v. Parthey, Abh. d. Berl. Acad.

eius quidem sententiae, quam perscrutamur, vestigia non ante primum post Christum natum saeculum inveni, quo vixit theologorum Iudaeorum multo celeberrimus Philo,[1]) cuius in libris saepissime[2]) angeli et daemones comparantur, quod facere Philo minime dubitavit, cum daemones simillimis angelorum officiis praeditos esse e Platonis convivii p. 202 vel ceterorum philosophorum libris sibi persuadere posset. Fortasse Philo hac in re vetustiores auctores sequebatur, nam suspicari licet iam eos, qui ante Philonem testamentum vetus ratione allegorica explanabant, hanc eandem comparationem non repudiavisse (Heinze p. 113). Iudaeorum vero, non Christianorum angelos Labeonem tractavisse puto ea re commotus, quod Iao dei Iudaeorum nomen a Varrone ut videtur acceptum cognovit (v. supra p. 19 sq.); facile enim fieri potuit, ut una cum dei eius angelorum scientia ad paganos transiret. Quod certe factum erat Hadriani temporibus, quibus Nicomachus, Neopythagoricus philosophus, Graecorum daemones aperte cum Iudaeorum angelis comparavit,[3]) quae res probabilitatem conciliat Labeonem illam daemonum angelorumque comparationem a Nigidio Figulo, philosopho Neopythagorico, accepisse. Accedit, quod Celsus, ille secundi post

1865 p. 152; pap. XLVI Brit. mus. v. 168 sq. ed. Wessely, Abh. d. Wien. Acad. 36, 1888 p. 27 sqq.; cf. Buresch l. l. p. 59.

1) De eo conferas Staehlinium apud Christ-Schmid, Gesch. d. griech. Litt. II[5] p. 478 sqq.; Zeller III 2, p. 338 sq.

2) v. c. de mundo § 3: *ἃς οἱ μὲν παρ' Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες ἥρωας καλοῦσι καὶ δαίμονας, Μωύσης δὲ ... ἀγγέλους προσαγορεύει*; cf. de somn. I 22, de plantat. Noae § 4, de gigant. § 2 et 4, de confus. ling. § 34.

3) Theol. arithm. p. 43 Ast: *(ἀγέλας,) ἃς ἀγέλους κατὰ τὰ αὐτὰ καλοῦσιν ἐν τοῖς ἱεροῖς λόγοις, κατὰ παρέμπτωσιν δὲ τοῦ γάμμα ἐφθαρμένως ἀγγέλους· διὸ καὶ τοὺς καθ' ἑκάστην τούτων τῶν ἀγγέλων* (h. e. *ἀγέλους* = *ἀγελας*) *ἐξάρχοντας ἀστέρας καὶ δαίμονας ὁμοίως ἀγγέλους καὶ ἀρχαγγέλους προσαγορεύεσθαι.* Zeller III 2, 139.

Christum natum philosophus, iisdem fere verbis quibus Labeo heroes ab angelis et ceteris daemonibus secrevit apud Orig. adv. Celsum VII 68[1]): *καὶ ὅτιπερ ἂν ᾖ ἐν τοῖς ὅλοις εἴτ' ἀγγέλων εἴτ' ἄλλων δαιμόνων εἴτ' ἡρώων, ταῦτ' ἔχει νόμον ἐκ τοῦ μεγίστου θεοῦ.*[2])

Ex eis, quae attulimus, id unum certe apparet, nihil impedire, quominus Labeonem iam Hadriani aetate vel etiam paulo ante de angelis disputare potuisse putemus. Sententia firmatur, si has quoque Labeonis doctrinas a Neoplatonicis aliquatenus differre nobis persuadere possumus. Nam Neoplatonicorum temporibus Iudaeorum angeli a philosophis recepti sedis differentia aperte a daemonibus secernebantur, v. Aug. de c. d. X 9: 'quamquam itaque (Porphyrius) discernat a daemonibus angelos, aeria loca esse daemonum, aetherea vel empyrea disserens angelorum.'

Praeterea Porphyrius etiam archangelos affert, qui apud Labeonem plane desiderantur; v. Procl. com. ad Timaeum p. 47 A (p. 152 ed. D.): *ὁ μὲν γὰρ φιλόσοφος Πορφύριος οὕτως διατάττεται τοὺς μὲν ἱερέας ἀναλογεῖν τοῖς ἐν οὐρανῷ ἀρχαγγέλοις τετραμμένοις πρὸς θεόν.* Iamblichus vero multo plures ordines distinxit (*θεούς, ἀρχαγγέλους, ἀγγέλους, δαιμόνια φάσματα, ἄρχοντας, ἥρωας, ψυχάς*, v. *περὶ μυστηρίων* ed. Parthey p. 70 sqq.), qui angelis et daemonibus diversas sedes tribuit (ibidem p. 85). Cum ea consideremus, Labeonis verba, quem angelorum nomen, quamquam ei non ignotum fuit, vitare studuisse ex Augustini de c. d. IX 19 apparet, illis de temporibus nos ad-

1) cf. ibidem VIII 60, V 6.

2) Buresch p. 55.

monent, quibus angeli, quamquam philosophis iam noti erant, tamen nondum digni esse videbantur, qui suo nomine praediti locum a daemonibus separatum inter numina obtinerent. Similiter Heinzius p. 113 adn. 5 conclusit ea, quae Labeo de daemonibus et angelis docuerit, nos vel in primum ante Christum natum redire pati.

§ 5. De anima.

Animarum de sorte quid Labeo iudicaverit, certiores fimus his fragmentis.

Servius Dan. ad Aen. III 168: 'Ut deos Penates quasi Troianos intellegas et ad ritum deferri, de quo dicit Labeo in libris qui appellantur de diis animalibus, in quibus ait esse quaedam sacra, quibus animae humanae vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant.' Arnob. II 62 (Kahl p. 784): 'Etruria libris in Acheronticis pollicetur certorum animalium sanguine numinibus certis dato divinas animas fieri et ab legibus mortalitatis educi.'

Quin Labeo doctrinam, quam de diis animalibus profert, e fonte Etrusco hauserit, nemo dubitabit, cum Arnobius libros Acherunticos afferat, quibus de certa Etruscae disciplinae parte agebatur.[1]) Etrusci enim animalia quaedam esse sibi persuaserunt, quorum animae tam purae essent, ut, si immolarentur, hominis ipsius animam in immortalitatem vindicare possent[2]); eiusmodi sacrificia 'hostiae animales' vocabantur, quod anima sola deo sacrabatur.[3]) Quod

1) Wissowa PW I 219.

2) Furtwaengler, Antike Gemmen III 259 his Etruscae religionis elementis illam Pythagoreorum doctrinam commixtam esse coniecit, qua animam post mortem permigratis compluribus mortalibus corporibus divinam fieri putassent. Cf. Thulin, die etrusk. Disciplin II 13 sq.; III 58.

3) Trebatius apud Macr. sat. III 5, 1.

autem attinet ad 'certa illa numina', quibus secundum Arnobii verba ea sacrificia offeruntur, inprimis de Mercurio cogitandum est.[1])

Hominum animae tali modo divinae redditae deorum animalium vel penatium et vialium nominibus celebratae sunt; penates vocatas esse eas Nigidius[2]) testatur, qui Etruscos quattuor penatium genera Iovis, Neptuni, deorum inferorum, hominum discrevisse tradidit.

Tenendum autem est Labeonem animas deos minoris ordinis fieri docuisse,[3]) non daemones, qui expressis verbis ab illis secernuntur, neque semideos neque deos superiores. At fatendum est eum talia docere non potuisse, si vere Platonicus fuisset (v. supra p. 49). Toto genere diversa autem res cum Stoicis est, qui non inviti Etruscorum doctrinis studebant; attuli Nigidium Figulum, ad quem Labeo propius accessisse videtur (supra p. 47 sq.), affero A. Caecinam Stoicum,[4]) Attalum Tiberianae aetatis,[5]) Lucanum,[6]) Musonium Rufum, qui omnes Etrusca placita acceperunt.[7]) Quam ob rem cum stoica philosophia haec quoque Labeonis doctrina optime coniungi potest. Nam cum prioris aetatis Stoicis id unum constaret animam mortalitatis legibus subiectam esse, utrum vero anima statim post mortem an fine demum mundi interitura esset non diiudicaretur,[8]) Posidonius primus rationalem animae partem deo cognatam ipsamque divinam esse edixit, inprimis

1) Qui in Etruscorum gemmis saepe animas e Tartaro reducit. Furtwaengler l. l. III 203; 255 sq.

2) apud Arnobium III 40; frg. 69 p. 83 Swoboda.

3) Serv. Dan. ad Aen. III 168, v. p. 58.

4) apud Senecam nat. quaest. II 41. Schmeisser p. 13.

5) apud Senecam ibidem II 48. Schmeisser p. 26.

6) Phars. I 588 sqq. Schmeisser p. 27.

7) Tac. ann. XIV 59; hist. III 81. Schmeisser p. 28.

8) exempla collegit Zeller III[3] 1, 201 sq.

autem eis, qui de genere humano bene meruissent aut omnino sine peccatis vitam egissent, certum ad deum patrem reditum esse[1]; v. Cic. de r. p. VI 13: 'omnibus qui patriam conservaverint adiuverint auxerint certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur.'[2]) Exinde Varro quoque animam hominis divinam fieri non negabat.[3]) Quorum virorum doctrinis nisum facillime Labeonem Etruscae disciplinae placita Stoicorum eschatologiae adiungere potuisse consentaneum est, ut demonstraret animam e mortalitatis vinculis eripi posse.

Restat, ut inspiciamus locum quendam, qui, quamquam de Labeonis placitis vix novi quicquam affert, tamen nos adiuvare potest quaerentes, quamnam scholam philosophicam Labeo secutus sit. Augustinus enim de c. d. XXII c. 27 sq. haec habet: 'Dicat itaque cum Platone Porphyrius: 'redibunt ad corpora (animae mortuorum)' . . . . c. 28 Labeo duos dicit uno die fuisse defunctos et occurrisse invicem in quodam compito, deinde ad corpora sua iussos fuisse remeare et constituisse inter se amicos esse victuros, atque ita esse factum, donec postea morerentur. Sed isti auctores[4]) talem resurrectionem corporis factam fuisse narrarunt, quales fuerunt eorum, quos resurrexisse novimus et huic quidem redditos vitae, sed non eo modo ut non morerentur ulterius.'

Luce clarius Augustinum hoc quoque loco, id quod iam supra p. 43 sq. repperimus, a Neoplatonicis, qui metempsychosin docebant, discernere videmus

1) C. Pascal, Le credenze d'oltretomba, Catania 1912, II p. 37 sq.; Wendland l. l. p. 135; Corssen, de Posidonio Rhodio, diss. Bonnae 1878 p. 20 sq.

2) cf. Cic. Tusc. I 42 sq.

3) ant. I 24 (Agahd p. 154); Wendland p. 141.

4) Tullium quoque attulerat.

Labeonem, qui solum post simulatam mortem resurrectionem corporis fieri posse docuit. Num ex ea re, quod Labeonem cum Cicerone coniungit, de illius aetate quicquam concludi possit, valde dubito.

Quodsi ad summam eorum, quae Labeo de anima docuit, respicimus, fatendum est nihil iis inesse, quod nisi Neoplatonicorum e placitis explanari non possit, immo omnia priorum inprimis Stoicorum e scriptis intellegi poterant, quin etiam nonnullis locis Labeonem a Neoplatonicis plane dissentire vidimus. Quae cum ita sint, veri similius est eum Stoicum prioris quam Neoplatonicum serioris aevi fuisse. Utque eius vitam accuratius terminemus, nos meminisse oportet Labeonem cum veterum philosophorum sententias secutum esse tum maxime Posidonii et Varronis sententiis artius se applicasse quam ut eum nimis multo post illos vixisse putes (v. supra p. 40; 35 sq.). Varronis aequalis Nigidius quoque Figulus fuit, cuius exemplo usum Labeonem Etruscae disciplinae studuisse verisimile est. Itaque Labeonem vel primo p. Chr. n. saeculo vel non multum post vixisse iam nunc coniciam; quae opinio eo firmatur, quod illo ipso saeculo Apollinis Clarii oraculum, cuius responsum Labeo tractavit, summa auctoritate utebatur (v. supra p. 8 sq.). Accedit, quod in Labeonis fragmentis daemonologiae, qualis inprimis a Plutarcho[1]) et Apuleio[2]) perfecta ac constituta est, vestigia non inveniuntur; neque daemones secretum a diis regnum obtinent,[3]) sed una cum heroibus semideis deis bonis et malis inter numina collocantur, neque

1) Plut. de Iside 25 p. 360 sq; c. 30; gen. Socr. 16, 22 sq. Zeller III 2, p. 176 sq.

2) de deo Socr. c. 6—13; 15. Zeller III 2, p. 211 sq.

3) Aug. d. c. d. IX, 1 (v. supra p. 44.).

complures daemonum ipsorum ordines distinguuntur[1]); quare eum ante illos viros viguisse putes (Kettner l. l. p. 33). Praeterea archangelorum nomen in Labeonis fragmentis plane desideratur, ut eum Nicomacho maiorem natu fuisse liceat concludere (v. supra p. 56).

Caput tertium

De Labeone Arnobii et Suetonii auctore.

§ 1. De Arnobii libro secundo.

In capite secundo ea Labeonis fragmenta, quae Kahlius collegit, examinavimus.[2]) Sed magnum praeterea fragmentorum numerum Niggetiet l. l. p. 7 sqq. invenisse sibi visus est, qui Arnobii librum secundum totum in unum et eundem adversarium spectare sibi persuasit, quem Labeonem fuisse demonstrare studet (l. l. p. 11). Cumque Arnobium libro tertio et aliis Labeonem, etsi nomen reticet, cognovisse concedendum sit (Kahl p. 720), Niggetietii coniectura per se stare potest. Tamen accuratius eam examinare oportebit.

Qui primus illius libri fontibus indagandis operam navavit, Roehricht l. l. p. 30 in adversarii, quem Arnobius impugnat, nomine constituendo valde haesitavit, Arnobium modo in Plotinum modo in alios quosdam Neoplatonicos invehi ratus, quibus Labeonem adsumpsit Wissowae Kahliique argumentis, quibus nos addicere non potuimus, nisus (p. 37 sqq.). Indagationis summam p. 44 adn. 1 ita complexus est, ut Arnobium in plerisque non Neoplatonicorum de anima sententias difficiles intellectu, quas in Labeonis scriptis invenisset, impugnasse, sed Platonis ipsius placita tractare maluisse contenderet.

1) de deo Socratis c. 9 sq.

2) De fragmentis, quae post Kahlium Muelleneisen contulit, v. supra p. 12.

Contra hanc coniecturam Niggetiet p. 7 sq. primo probare studet Arnobium toto libro in unum et eundem adversarium invehi. At Arnobius in capite XIII aperte dicit se non unum, immo scholam totam in animo habere, quam his verbis significat: 'vos, vos appello, qui Mercurium,[1]) qui Platonem Pythagoramque sectamini, vosque ceteros, qui estis unius mentis et per easdem vias placitorum inceditis unitate'. Haud secus reliquis omnibus locis (Niggetiet p. 9 sq.) adversarios appellat, ut eum in complures viros vel scholam quandam invehi putes, quare, ne de Niggetietii coniectura iam actum sit, vereor.

Quae ille Arnobii adversarius docuerit, Niggetiet complexus est hisce verbis (p. 18): 'Arnobium non Platoni reluctari . . . ., sed homini se partes Platonis sequi professo intellegitur. Quae sententia ea re probatur, quod adversarium Platonis discipulum appellare videtur, cf. II 13 'vos, vos appello . . . .' Qua re ad Neoplatonicos mittimur, quos placitis Pythagorae usos esse satis constat . . . . Quibus ex rebus adversarium Neoplatonicos secutum Platonem permagni aestimare et sapientissimum esse omnibus rebus vidimus. Sed quoniam Arnobius reliquis libris opera hominis compilat, cuius nomen adferre veretur, hac quoque parte eum eundem hominem impugnare crediderim. Censeo igitur Cornelio illi Labeoni Arnobium hic reluctari'.

His e Niggetietii enuntiatis videmus eum opinionibus talibus nisum esse, quales retineri non possunt, ubi primum quidpiam quod contra dicat occurrit. Aperte autem illius adversarii placita a Labeonis abhorrent,

1) Arnobius igitur hic in scripta Hermetica invehitur (cf. Reitzenstein, Poimandres. Studien zur griech. aegypt. u. frühchristl. Litteratur. Lpz. 1904). Quae Labeoni quoque cognita fuisse nullo fragmento probatur.

quem magis ad Stoicos inclinare e capite II elucebat. Ne id quidem constabit, quod Niggetiet p. 19 nullo argumento allato vult, Arnobium reliquis libris opera Labeonis compilare, cum in tertio modo et interdum in quarto, tum in septimo in Labeonis vestigia incidamus (Kahl p. 722).

Quibus perpensis ea fragmenta excludere debemus, quae non nisi propter sententiam Platonicam Labeoni a Niggetietio attribuuntur. Tum restat unus solus Arnobii locus libri secundi, qui necessario inspiciendus est, quoniam pars quaedam certe ad Labeonem redit, cum Labeonis, quas de animae sorte proferebat, sententias contineat (v. supra p. 58).

Arnobius II 62 sq. (Kahl p. 784): 'neque illud obrepat aut spe vobis aeria blandiatur, quod ab sciolis nonnullis et plurimum sibi adrogantibus dicitur, deo esse se gnatos nec fati obnoxios legibus, si vitam restrictius egerint, aulam sibi eius patere, ac post hominis functionem prohibente se nullo tamquam in sedem referri patritam; neque quod magi spondent, commendaticias habere se preces quibus emollitae nescio quae potestates vias faciles praebeant ad caelum contendentibus subvolare, neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato divinas animas fieri et ab legibus mortalitatis educi.' Hoc loco Roehricht p. 42 coniecit Arnobium non in tres diversos adversarios, id quod e voce 'neque' ter adhibita concluderes, sed re vera in sententiam tripertitam unius eiusdemque auctoris invehi; quam Roehrichtii coniecturam Niggetiet accepit confirmatam Krollii[1]) commentatione, qua is Arnobium oracula Chaldaica novisse ostenderat. Atque prima et tertia huius

1) Bresl. phil. Abh. VII p. 59 sq.

enuntiati parte oraculorum placita contineri Kroll sumebat. Primam partem ad illa oracula redire non est, quod putemus; nam sententiae plane cum Posidonii, quas supra p. 59 sq. attulimus, congruunt. Neque hoc Krollii argumentatione demonstratum est tertiam illam partem, quam ad Etruscam disciplinam redire supra iam vidimus, ex eodem fonte haustam esse; nam tum demonstrari debebat, oracula Chaldaica aliquando Etruscas disciplinas respexisse, cuius rei nullum quantum video exstat testimonium. Sed omnino necessarium non est putare Arnobium hic eundem adversarium petere; id enim particula disiunctiva 'neque' adhibita re vera per se minime verisimile est. Cum vero diligentius inspicimus, eius enuntiati partes inter se omnino non cohaerere facile intellegimus; nam prima parte docemur hominum, qui vitam restrictius egerint, animas nullo impediente ad aulam paternam redire posse, id quod Stoicorum e doctrinis effluxit, secundum alteram autem potestates, quae animam impedire possunt, a magis leniuntur, quae res ad magiam pertinet[1]); Etruscae autem disciplinae erat, animas sacrificio quodam ab interitu servatas deos quosdam inferiores reddere.

Cum igitur singulae huius enuntiati partes inter se omnino non cohaereant, vix diiudicari poterit, utrum Arnobius hic unum vel duos vel etiam tres adversarios impugnet. Id unum satis constat tertiam enuntiati partem ad Labeonem redire (v. p. 58). Si cetera quoque Labeonis esse putamus, ea re omnino

1) Eius magiae vestigia iam aevi Christiani initio inveniuntur, quo tempore Simon ille Magus vigebat (Irenaeus I 16, 2 Harvey I p. 191). Eadem a Gnosticis inprimis colebatur, v. Hippol. phil. IX 3, 14 Cruice p. 449; Anz, Zur Frage nach dem Ursprung des Gnosticismus, Texte u. Unters. zur Gesch. der altchristl. Litteratur ed. O. von Gebhardt u. A. Harnack 15, 1897.

non cogimur Labeonem post primum saeculum viguisse nobis persuadere, si non, nostrae quaestioni nihil valent.

Apparet igitur Arnobium, cum philosophorum de anima doctrinas repudiaret, Labeonem, quem ipsum de animae sorte scripsisse meminerat, uno certe loco refutasse, cum reliquis libri partibus Neoplatonicos impugnaret.

§ 2. De Labeone Suetonii auctore.

Quibus expeditis quaestio difficilis restat, quae Labeoni cum Suetonio res sit. Concentum interesse Wissowa[1]) cognovit inter Macrobii sat. I 12—16, quae libri pars ad anni Romanorum historiam pertinet, et ea, quae de eodem argumento Censorinus[2]) libri 'de die natali' qui inscribitur cap. XIX sqq. et Solinus[3]) disseruerunt, qui saeculo tertio post Christum natum in 'Collectaneorum rerum memorabilium' libro I 34—37 anni historiam adiit. Qui cum omnes et alios scriptores et Suetonii librum 'de anno Romanorum',[4]) qui vocabatur, compilarent, Saturnaliorum quoque illam partem ad eiusdem scriptoris librum redire evicit Wissowa, cui plurimi viri docti assensi sunt, v. supra p. 10.[5]) Unus autem Macrobii

1) de Saturn. font. p. 16 sqq.

2) de eo conferas Schanz, Gesch. d. röm. Litt. III 230.

3) Schanz l. l. p. 236 sq. Fr. Rabenald, Quaest. Solinianarum cap. tria, diss. Halis 1909 p. 1 sq.

4) Schanz l. l. III p. 61 sq.; fragmenta collegit A. Reifferscheid, C. Suetonii Tranquilli praeter Caesarum libror. reliqq. Lps. 1860 p. 147 sqq.

5) Kahl l. l. p. 728; P. Weber, Quaestionum Suetonianarum capita duo, diss. Hal. 1903 p. 44 sq.; Th. Litt, de Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris, diss. Bonn. 1904, p. 23 sq.; H. Willemsen, de Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis, diss. Bonn. 1906 p. 8; Fr. Bluhme, de Ioannis Laurentii Lydi libris περὶ μηνῶν observat. capp. II, diss. Hal. 1906 p. 88 sq.

locus eam coniecturam plane delere videbatur; nam in illa de nundinis disputatione, quae cap. XVI continetur, Cornelii Labeonis[1]) nomen laudatur. Cum autem omnibus probaretur Labeonem post Suetonium vixisse, Wissowae concedendum fuit huic loco difficultatem inesse. Quam ut tolleret de medio, hunc Labeonem non Cornelium illum fuisse coniecit. Eam coniecturam fulcire conatus hac argumentatione nisus (p. 27/8): primo scrupulum inicere contendit, quod inter Macrobii auctores, qui omnes Tiberii imperatoris aetate antiquiores essent, unus Cornelius Labeo plus quam duobus saeculis recentior occurreret[2]); accedere, quod

1) sat. I 16, 26 sq. (v. supra p. 5): 'ante diem quoque quartum Kalendas vel Nonas vel Idus, tamquam inominalem diem, plerique vitant. Eius observationis an religio ulla sit tradita, quaeri solet, sed nos nihil super ea re scriptum invenimus, nisi quod Q. Claudius Annalium quinto . . . . cladem illam . . . factam refert ante diem quartum Nonas Sextiles. Ad rem sane militarem nihil adtinere notat Varro utrum fastus vel nefastus dies sit, sed ad solas hoc actiones respicere privatas. Quod autem nundinas ferias dixi, potest argui, quia Titus de feriis scribens nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum . . . . sollemnes vocavit, et quod Iulius Modestus adfirmat Messala augure consulente pontifices . . . . respondisse eos nundinas sibi ferias non videri, et quod Trebatius in libro primo Religionum ait . . . Sed contra Iulius Caesar sexto decimo Auspiciorum libro negat nundinis contionem advocari posse, . . . Cornelius etiam Labeo primo Fastorum libro nundinis ferias esse pronuntiat. causam vero huius varietatis apud Granium Licinianum libro secundo diligens lector inveniet. Ait enim nundinas Iovis ferias esse, siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Iovi arietem soleat immolare, sed lege Hortensia effectum ut fastae essent, uti rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent.'

2) Quae Wissowae sententia nunc iterum examinanda est, postquam Funaioli PW VII col. 1819 sqq. demonstrare conatus est Granium Licinianum a Granio Flacco illo Caesaris aevi scriptore (v. supra p. 38 adn. 1), quocum eum Wissowa coniunxerat, secer-

de fastis commentarii complures libros complexi et a tertio saeculo exeunte et ab ipso Cornelio Labeone, theologo ac philosopho Neoplatonico, alieni essent. Quibus argumentis nisus Wissowa Macrobium in scriptoris nomine laudando erravisse coniecit ita, ut, cum paulo ante (12, 20 sq.) ex alio fonte Cornelii Labeonis notitiam exprompsisset, hoc quoque loco, ubi fortasse Labeonis nomen nomine gentili omisso invenerit, eundem virum indicari ratus Cornelio Labeoni librum de fastis tribueret. Re vera autem Antistium,[1]) virum illum primi ante Christum natum saeculi iuris peritum de fastis librum scripsisse.

nendum et Antoninorum temporibus attribuendum esse. Eo autem Funaioli inprimis nititur, quod Licinianus p. 6, 8 Flemisch aperte ad annum p. Chr. n. 129 respiciat, quo Hadrianus imperator templum Iovis Olympii diu imperfectum Athenis restituit: 'aedes nobilissima Olympii Iovis Atheniensis diu imperfecta permanse[rat] . . .' Praeterea Antoninorum aetatis esse, quod Licinianus et Sallustium non tam historicum quam rhetorem celebraret (p. 33, 8) et orationem ipse antiquis vocibus ornaret. Quae argumenta cum inspicimus, fatendum est ex illo Liciniani loco, cuius paucae tantum voces servatae sunt, non plane elucere de Hadriano agi, quamquam Funaiolii coniecturam eo firmari dicat quispiam, quod voces 'imperfecta' poscatur, ut versu sequente nunc deperdito templum plane restitutum esse narretur, qua re in Hadriani aetatem duceremur. Quod rectum esse cum concedamus, tamen Funaiolii argumentatione hoc tantum demonstratum est Licinianum scripisse post 129. Neque vero necessarium est eum Antoninorum demum aetate viguisse; nam facile fieri potest, ut Licinianus, cum Sallustium cognoverit, eum secutus orationem antiquis vocibus vel Hadriani aetate ornaverit. Praeterea iam Quintilianus Sallustium eum esse vult, quem praeter ceteros orator imitetur (v. instit. orat. X 1, 101; II 5, 19 alibi). Quibus causis commotus Licinianum Hadriani temporibus fuisse coniciam; quod si ita est, nihil obstat, quominus Suetonius eius libros adhibuerit.

1) De eo conferas Schanz, Gesch. d. roem. Litt. II 1 p. 530 sqq.

Difficultatem tali modo tolli posse veri vix simile est; nam primum Antistium Labeonem huius generis librum condidisse omnino notum non est[1]); deinde Cornelium Labeonem de fastis scripsisse postea ab ipso Wissowa[2]) fere concessum est, cum duo Labeonis fragmenta a Lydo servata aperte ex libro, quo de fastis agebatur, sumpta sint.[3]) Tum Niggetiet l. l. p. 39 illud Wissowae reiecit, quo librum de fastis Cornelio Labeoni ac tertio post Christum natum saeculo non convenire putabat, exemplo usus Lydi libro περὶ μηνῶν qui inscribitur. Itaque de Antistio Macrobii auctore actum est. Niggetiet autem, qui post Wissowam illum locum tractavit, alia ratione eum sanare conatus est. Is enim coniecturam fecit eas paragraphos, in quibus Labeonis nomen a Macrobio afferretur, ab ipso postea ex Labeonis ipsius libro de fastis in illam partem Suetonianam insertas esse (p. 40 sq.). Macrobium eis, quas ex Suetonio hausit, lectionibus interdum alias res inserere Wissowa[4]) iam viderat; eius autem modi additamentum hoc quoque loco nobis ante oculos esse Niggetiet vix merito coniecit; nam quae Macrobius intrudit, facillime cognosci possunt, cum narrationis continuitatem moleste interrumpere soleant, id quod Wissowa pluribus demonstravit. Ut exemplum afferam, in libro I cap. 12 verba, quae §§ 9—12 continentur, non ex eodem fonte fluxerunt e quo reliqua huius capitis pars; aperte enim initium paragraphi 12 referendum est ad res in § 8 narratas, contra nullo vinculo cohaeret cum §§ 9—11. Huius rei non ea causa est, quod Macro-

1) Teuffel, Gesch. der roem. Litt.[6] § 265, 1. Muelleneisen l. l. p. 12; Schanz III 164.
2) P W IV col. 1354.
3) de mens. IV 25 p. 83, 8 W; ibid. III 10 p. 47, 18 W.
4) de Macr. sat. font. p. 9 sq.

bius tam stupidus erat, ut enuntiatum 'ne decem quidem verborum alicui disputationi ita inserere non potis esset, ut fraus non extemplo cognosceretur,' ut Niggetiet p. 38 sq. censebat, sed quod eorum additamentorum sententiae plerumque filo tantum tenuissimo cum ceteris cohaerent. Macrobius enim, ubi inserendi occasio ei dabatur, e narratione continua ad alias res digredi amabat. Id plane elucet ex eo ipso exemplo, quo Niggetiet p. 38 utitur, ubi Macrobius amplas partes aliunde petitas inseruit contextui verborum Suetonianorum (sat. I 12, 20—29). Macrobius enim hic mensis Maii nomine a Maia dea derivato de ipsius deae forma loquitur, ut eam eandem esse et Terram et Bonam deam demonstret. Unde ad Bonae deae naturam explicandam aberrat, cuius rei ipse in paragr. 29 excusationem affert. Longe aliter res nostro loco se habet, ubi inter alios scriptores e Suetonio petitos Cornelius quoque Labeo laudatur nullo indicio dato Macrobium hic aberravisse.[1]) Accedunt aliae causae; minime enim verisimile est Macrobium de eadem re complurium scriptorum libros inspexisse, cum plane contra epitomatorum morem sit; praeterea autem, id quod maioris momenti est, Macrobium, quamquam auctorum laudatorum multitudine gauderet, anxie ipsos, e quibus hausit, fontes reticuisse Wissowa[2]) cognovit atque exemplis confirmavit. Ad hanc Macrobii consuetudinem Labeonis nomen allatum non quadraret, si Macrobius Labeonem adhibuisset. Ita ne Niggetietii quidem ratione illam difficultatem tolli posse videmus. Sin autem animo non occupato ad locum accedimus, concludendum esse fatebimur Macrobium Labeonis nomen iam in Suetonii libro laudatum invenisse. Hanc conclu-

1) sat. I 16, 26; verba supra p. 5 et p. 67 exscripsi.
2) de Macr. sat. font. p. 6 sq.

sionem facere priores non potuerunt, quoniam Labeonem Suetonio natu minorem esse putaverunt. Quae difficultas plane tollitur, cum meminerimus, quid de Labeonis aetate e fragmentis didicerimus. Immo nihil obstat, quominus Labeonem a Suetonio ipso adhibitum esse coniciamus. Quod si facimus, etiam illa aetatis nimia differentia, quae inter viros a Macrobio laudatos adhuc patebat, etiamsi Licinianum Hadriani temporibus vixisse putamus, plane minuitur.

Iam quaeritur, quae ratio inter Labeonem et Granium intercedat. Cum Granius ita apud Macrobium h. e. apud Suetonium laudetur, ut eum rectius quam Labeonem iudicasse et plura quam illum exhibuisse pateat, cumque post Labeonem afferatur, concludere debemus Granium fuisse post Labeonem. Sed quaestio porro est, utrum Suetonius Labeonis nomen apud Licinianum invenerit an praeter Labeonis librum de fastis conscriptum etiam eiusdem generis librum Liciniani adhibuerit. Quamquam fateor de ea re me nihil certi dicere posse, tamen Suetonium ex ipsis Labeonis libris hausisse ut putem, ea inprimis re adducor, quod de similibus rebus atque hoc loco Suetonius alibi quoque (Macr. I 13, 3; I 13, 6, de his locis infra p. 74 et 72 verba faciam) Labeonis scripta inspexisse videtur, ubi Licinianum ab eo compilatum esse nulla re probatur. Praeterea verbis 'diligens lector inveniet' Suetonius laudi sibi vertere videtur, quod praeter Labeonem alterum auctorem adierit.

Suetonius igitur, cum priorum sententiis nisus de anno Romano librum scriberet, etiam Cornelii Labeonis commentarium, quo de fastis agebatur, adhibuit. Facile autem fieri potuit, ut Suetonius non hoc uno loco libri de anno conscripti Labeonem adhiberet. Quare restat, ut investigemus, num aliis quoque locis Suetonius Labeonis vestigia presserit.

Iam diu viris doctis conspicuus fuit ille con-

centus, qui saepius inter Macrobii saturnalia et Lydi libros *περὶ μηνῶν* occurrit. Is, ut exemplum afferam, etiam in illis Lydiani operis partibus inveniebatur, quibus anni descriptionem complectitur; eandem Macrobius Suetonii sententiis usus primo Saturnaliorum libro tractavit. Itaque suspicio illa non omni probabilitate carere videbatur Lydum ipsum quoque Suetonium excerpsisse. Quam coniecturam a Reifferscheidio primo edictam Wissowa quoque accepit.[1]) Utrum Suetonius ipse an per ambages (Bluhme l. l. p. 120) a Lydo in usum vocatus sit, mea nihil refert. Nam etiamsi concedo per se fieri posse, ut Labeonis nomen, si apud Lydum in eis libri partibus, quae utrum e Suetonio ipso sumptae sint necne satis haud constat, occurrit, ab auctore quodam, qui inter Suetonium et Lydum fuit, postea cum excerpto Suetoniano coniunctum sit, tamen, si talem Lydi locum Suetonianum esse Macrobii testimonio confirmatur, coniectura illa Suetonium ipsum Labeonem adhibuisse firmari videbitur. Iam ad singula accedamus.

Lyd. *περὶ μηνῶν* p. 47, 18 sq. W.	Macr. Sat. I 13, 6 sq.
ὅτι ὁ Λαβεών φησι τὸν Ιανουάριον καὶ Φεβρουάριον Ἀπρίλλιόν τε καὶ Ιούνιον Σεξτίλιον Σεπτέμβριον ⟨Νοέμβριον καὶ Δεκέμβριον⟩[2]) *ἀπὸ ἐννέα καὶ εἴκοσιν ἡμερῶν τὸ πάλαι λαχεῖν, Μάρτιον δὲ καὶ Μάιον Κυντίλιόν τε καὶ Ὀκτώβριον ἀπὸ μιᾶς καὶ τριάκοντα· ὅθεν τοὺς ἀπὸ*	Ianuarius igitur Aprilis Iunius Sextilis September November December undetricenis censebantur diebus et quintanas Nonas habebant ac post Idus in omnibus a. d. septimum decimum Kalendas computabatur. Martius vero Maius Quintilis et October dies

1) De Macr. sat. font. p. 22; Bluhme l. l. p. 86.

2) Quae librarii incuria omissa et addenda esse me monuit Wuenschius.

ἐννέα καὶ εἴκοσιν ἡμερῶν ἔλκοντας πεμπταίας ἔχειν τὰς Νώνας ὡς σεληνιακούς, τοὺς δὲ ἀπὸ μιᾶς καὶ τριάκοντα ἑβδομαίας ὡς ἡλιακούς. τὸν δὲ Φεβρουάριον ἐπίτηδες τοὺς Θούσκους ἐλαττῶσαι, ἐπειδὴ ταῖς τῶν καταχθονίων ἑορταῖς φαίνεται πρὸς τοῦ ἱερέως Νουμᾶ παραχωρηθεὶς καὶ οὐ θεμιτὸν ἦν, ἶσα τοῖς οὐρανίοις αὐτὸν[1]) *τιμᾶσθαι, μειωθῆναι δὲ μᾶλλον τὸν τοῖς ⟨τό⟩δε τὸ πᾶν ἐλαττοῦσι*[2]) *χθονίοις ἀφωρισμένον.*	tricenos singulos possidebant. Nonae in his septimanae erant similiterque post Idus decem et septem dies in singulis usque ad sequentes Kalendas putabantur, sed solus Februarius viginti et octo retinuit dies, quasi inferis et deminutio et par numerus conveniret.

Niggetiet (p. 41), cum his in enuntiatis tantas differentias inesse sibi persuasisset, ut nullo modo Lydum quoque Suetonium manibus tenuisse verisimile esse statueret, aut utrumque auctorem plane diversos auctores adhibuisse aut Lydum, quae plus habet, e Labeone ipso deprompsisse coniecturam facit; qua in re Niggetiet eo inprimis nititur, quod Lydus praeter Labeonis nomen Etruscorum itemque Numae commemorat; quo modo se ad Labeonem ipsum Lydi auctorem duci putat. Quam causam ullius ponderis esse nego; nihil enim obstat, quominus sumamus Suetonium, cum Labeonis librum afferret, etiam Etruscorum et Numae nomina inde recepisse eaque Macrobium, cum nullius momenti esse putaret,

1) *αὐτούς* Roether et Krollius apud Niggetietium 41, 1 nulla necessitate coacti.

2) *τοῖς τὸ πᾶν ἐλάττοσι* Krollius B. ph. W. 1899, 613 et Niggetietius l. l.; ⟨*τὸ*⟩ nunc addit Wuenschius collato Lydo de ost. c. 54 Wachsmuth: *τόδε τὸ πᾶν*.

omisisse. Multo gravius est, quod utriusque sententiae in reliquis simillimae sunt; nam uterque Februarium viginti octo dies habuisse narrat, quod inferis sacratus esset. Praeterea Lydus quoque auctorum, quos proximos sequebatur, nomina reticuit (Bluhme l. l. p. 32), ita ut eum ex ipso, quem laudat, Labeone narrationem auxisse vix putes. Itaque illud Bluhmii p. 120 constabit, qui ex discrepantibus nihil aliud concludi posse contendebat nisi Lydum et Macrobium ad eundem auctorem ultimum recedere, cuius librum alter hac, alter illa re omissa contraxit. Tum autem conicere possumus iam apud Suetonium Labeonis nomen laudatum fuisse, etsi concedo hoc fragmento solo non demonstrari posse Labeonem Suetonio natu maiorem fuisse. Sed id iam ex eis, quae supra p. 71 attulimus, satis constat.

Ad Suetonium hoc quoque Lydi fragmentum recedit

de mens. p. 83, 7 W.[1])	Macr. sat. I 13, 3 sq.
ὁ δὲ Λαβεὼν ἀπὸ τοῦ πένθους λέγει κληθῆναι τὸν Φεβρουάριον· φέβερ γὰρ παρὰ Ῥωμαίοις τὸ πένθος προσαγορεύεται. κατ' αὐτὸν δὲ τοὺς κατοιχομένους ἐτίμων· ἀλλὰ μὴν φεβῤουᾶρε τὸ καθᾶραι τὰ ποντιφικάλια βιβλία καλεῖ, Φέβρον τὸν Πλούτωνα.	secundum (mensem Numa) dicavit Februo deo, qui lustrationum potens creditur. lustrari autem eo mense civitatem necesse erat, quo statuit, ut iusta dis Manibus solverentur.

Ex Lydi Mabrobiique concentu concludi potest utrumque ad eundem h. e. Suetonium redire.[2]) Itaque

1) p. 48, 8 Lydus quoque Februarium mensem cum Numae nomine coniunxerat, v. supra p. 73.

2) Kahlius p. 732 propter falsam *φέβερ* h. e. *πένθος* explicationem coniecit Lydum Labeonis nomine praescripto propriam etymologiam ceteris adiecisse. Niggetiet contra de

hoc quoque fragmentum coniecturae nostrae saepius Labeonem a Suetonio adhibitum esse favet.

Caput quartum

De Labeonis aetate.

Terminus, ante quem Labeo vixerit, ea re datur, quod Suetonius eius scripta adhibuit. Suetonius autem libris scribendis inprimis tum studuit, cum a re publica recessit h. e. circa annum p. Chr. n. 126 sqq.[1]); ante hoc igitur temporis punctum Labeonem viguisse conicere debemus.

Terminum autem, post quem fuit, Kahlius p. 772 se invenisse putabat ea re nisus, quod apud Macrobium sat. I 23, 14, quam partem Labeonis esse censebat, Traiani imperatoris nomen affertur. Totam illam libri primi partem, capita 17—23 quae continet, ad Iamblichum et Labeonem redire Wissowa[2]) satis luculentis argumentis evicit. Utri hic locus attribuendus sit, quaestio est. Quam ut diiudicemus, quid cap. 23 contineat, perlustremus. Initio secundum

forma *φέβερ* longius disputare non operae pretium esse iudicavit, quia nihil esset nisi librarii error (p. 43). Haec autem habent libri: *φέβρ* A, *φέβους* H, *φέβρους* Cedren. *φέβερ* B. Codicis B qui ex A exscriptus est (Wuensch praef. p. LXV) lectionem plane corruptam omittere licet. Codicis A principis ceterorum (Wuensch p. LXIII) lectionem haud secus mutilam ac codicis H facillime explere possumus ad Cedreni (Wuensch p. XLVIII) vocem *φέβρους*. Lydus igitur *φέβρους* (cf. Macr. 'Februus') h. e. *πένθος* explanavit; quin hanc etymologiam, quam nemo exemplis confirmare poterit, ipse contextui Labeonis inseruerit, vix dubitari potest. Talis Lydi consuetudinis permulta exempla in eiusdem libro de magistratibus qui inscribitur (ed. Wuensch) invenias, v. c. p. 64, 16: *περσίκιον σκῆπτρον*.

1) Spart. vit. Hadr. XII 3. Schanz l. l. III 49.

2) De Macr. sat. font. p. 35 sqq.

Labeonis morem, qui Stoicos auctores Graecos et Romanos laudare adamat,[1]) Cornificius Posidonius Cleanthes afferuntur, ut eam partem ad Labeonem redire iure conicias. At plane ab hac parte differunt ea, quae inde a paragrapho decima Macrobius narrat. Primum nullius auctoris nomen profertur, id quod a Labeonis usu abhorret. Deinde in paragrapho decima Assyrii commemorantur, Heliopolis urbis historia fusius explanatur, simulacrum dei Hieropolitani describitur, quem Traianus imperator, cum Parthis bellum inferret, adiisse narratur; in fine eius commenti Adad, Assyriorum dei summi, et Atargatidis deae nomina occurrunt. Num eiusmodi ampla et docta de orientis historia ac cultu disputatio ad Labeonem Romanum quadret, iure dubites, cum optime Iamblicho conveniat, quippe qui in Syria ipsa natus maximam vitae partem ibi degerit.[2]) Etiam ceteris horum capitum locis, ubi Hieropolitani vel Aegyptii laudantur, aut omnino nullus scriptor aut nemo certe Stoicus affertur; conferas velim I 17, 65—70, ubi Numenius Neopythagoreus et Porphyrius laudantur, I 18, 10; 19, 10—18; 20, 6—18; 21—27; unde omnes eos locos non ad Labeonem, sed potius Iamblichum redire coniciam. Quod cum ita sit, Traiani quoque mentionem ad Iamblichum redire statuendum est neque habemus, quod Labeonem post Traianum vixisse nobis persuadeamus.[3])

1) v. supra p. 26; 34

2) Eunap. v. soph. Iambl. p. 11; p. 15 Duebner; Zeller III 2, 678 adn. 2.

3) Suspicari licebit Labeonis librum illum, quo deos ad Solem referebat, per Neoplatonicum quendam Romanum, qui Labeonis librum cum Iamblichi contaminabat, ad Macrobium pervenisse. Sed de nomine eius philosophi disputare non operae pretium est, cum nihil certi sciamus.

Alium terminum, post quem Labeo fuit, idem Kahlius p. 745 invenit Lydo et Macrobio comparatis. Lydus enim p. 63 sq. W, postquam paulo ante Labeonis nomen attulit, statuam quandam Iani quadrifrontis in foro Nervae, quod vocatur, servatam esse narrat: *ἔνθεν καὶ τετράμορφον ἀπὸ τῶν τεσσάρων τροπῶν· καὶ τοιοῦτον αὐτοῦ ἄγαλμα ἐν τῷ φόρῳ τοῦ Νερβᾶ ἔτι καὶ νῦν λέγεται σεσωσμένον.* Cum his Lydi verbis Kahlius p. 744 Macrob. sat. I 8, 13 coniunxit: 'ideo apud nos in quattuor partes spectat, ut demonstrat simulacrum eius Faleris advectum.' Quibus locis nisus Kahlius Labeonem, cum Nervae forum iam cognovisset, post illum imperatorem viguisse contendit. Sed cum apud Macrobium fori nomen non inveniatur, hoc ex loco Labeonem illud commemoravisse demonstrari non posse consentaneum est. Lydus autem aut ea, quae apud Macrobium invenimus, omnino non affert, aut tam diverso molo, ut utrumque commentum nequaquam ex uno eodemque fonte proximo fluxisse concedendum sit. Quare ille Labeonem non nisi per intercessores quosdam recentiores seu Suetonium seu Iamblichum in usum vocavit.[1]) Itaque etiamsi re vera Labeonis doctrina huic loco subest, ab auctore illo intermedio eam notitiam adici potuisse consentaneum est, quippe cuius vocibus *ἔτι καὶ νῦν λέγεται* ad auctorem recentiorem adducamur. Quae cum ita sint, terminus Kahlii etiam alter sublatus est et nos, ut Labeonis aetatem diligentius terminemus, meminisse oportet, quid de Labeonis temporibus e fragmentis supra p. 61 sq. apparuerit. Itaque certum terminum post quem fuit statuimus aetatem Posidonii, Varronis, Nigidii, quorum vestigia pressit.

1) Traube, Varia libamenta critica, Monaci 1883 p. 24 sq.; Bluhme l. l. p. 68 sq.; Agahd p. 118.

Labeo igitur, ut indagationis summam complectar, antiquis, theologicis, philosophicis rebus studuit primo fere p. Chr. n. saeculo, quo tempore rei publicae Romanae cura proxime ad principes transierat. Tum Varro Nigidius Hyginus, Verrius Flaccus viguerunt, quorum numero Labeonem rerum antiquarum studiosum adsumere licet. Cuius studii fructus Labeo libro de fastis qui inscribebatur amplexus est (v. supra p. 67 sq.), quem non inutilem fuisse iam inde apparet, quod eum Suetonius in usum vocavit. Porro Labeo non minore auctoritate fructus est in quaestionibus ad philosophiam vel theologiam pertinentibus. Etenim a Stoicorum philosophia, qualis a Posidonio ac Varrone aliarum scholarum doctrinis, inprimis Platonicorum psychologia aucta atque amplificata fuit (v. supra p. 60), orsus Labeo Iudaeorum quoque placita accepit nec minus Neopythagoreorum philosophiam et disciplinam Etruscam e Nigidii scriptis cognovit. In studiis theologicis Labeo theocrasiae, quae vocatur, studuit, qua in re posteros Neoplatonicos vestigia eius pressisse verisimile est. Nam supra p. 76 vidimus Neoplatonicum quendam ignotum Labeonis librum, quo de diis ad Solem referendis agebat, cum eiusdem generis libro a Iamblicho conscripto contaminasse. Unde etiam ad scriptores ecclesiasticos librorum eius notitia pervenit; nam ut Augustinus in Varronem vel Origenes in Celsum invehebatur qui saeculo ante vixit, ita Arnobius, rhetor christianus, Labeonem adversarium haud indignum putabat esse, quem, quantum fieri posset, impugnaret, licet iam non diiudicari possit, utrum Arnobius Labeonis ipsius libros manibus tenuerit[1]) an eius placita ab alio quodam, fortasse Neoplatonico, acceperit. Quod Arnobius et Augustinus eius placita cognoverunt et digna esse putaverunt, quae ubique fusius repudiarent, ex eo concludere licet Labeonis auctoritatem multo maiorem fuisse quam nos e fragmentis tenuibus intellegere possumus. Quam auctoritatem ea re effectam esse verisimile est, quod Neoplatonici in theologia Labeonis inprimis vestigia presserunt. Lydo vero et Macrobio Labeonis nomen per Suetonium traditum est.

Qua in urbe vel terra Labeo natus sit, dicere non possumus, cum nihil, quod ansam praebeat, in fragmentis eius insit. Quod Kahlius p. 805 eum Afrum fuisse coniecit, quia eum praeter Africos scriptores nemo afferret, non valet, cum Suetonium eius vestigia pressisse apparuerit.

1) Id quod non omni probabilitatis specie caret, cum Labeonis scripta ad tertium vel etiam quartum saeculum servari potuisse monstraverit G. Wissowa, Bestehen und Vergehen in der röm. Litt., Rektoratsrede Halle 1908 p. 10 sqq. Tali modo, ut exemplis utar, Macrobio et Censorino Varronis libri vel Nigidii Martiano Capellae praesto erant. At Agahdius l. l. p. 118 e Labeonis de Iano deo, quae ex Arnobio Macrobio Lydo collecta sunt, fragmentis concludere vult ne unum quidem istorum auctorum Labeonem inspexisse, cum et verbis et serie sententiarum plane dissentirent; quod Agahdii argumentum non tam grave videtur esse, ut nullo modo unum ex illis scriptoribus Labeonem ipsum inspexisse putes.

Vita

Natus sum Benno Augustinus Boehm in oppido Borussiae orientalis, cui nomen est Allenstein, a. d. XVI kal. Iun. a. 1891 patre Augustino, matre Rosa e gente Zint, quos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Gymnasii Allensteinensis per novem annos discipulus fui. Maturitatis testimonio instructus verno tempore a. 1909 civibus academicis adscriptus Monachii Berolinae Regimonti studiis philologicis archaeologicis philosophicis operam navavi. Docuerunt me viri illustrissimi

Birkner, Crusius, Streitberg, Voll, Wolters, Monacenses; *Ehrenreich, Hoetzsch, Luschan, Riehl, M. Schmidt, Sternfeld, v. Wilamowitz-Moellendorff* Berolinenses; *Ach, Albert, Bezzenberger, Deubner, Goedeckemeyer, Haendcke, Kowalewski, Ludwich, Rossbach, Seraphim, Tolkiehn, Wreszinski, Wuensch* Regimontani.

Proseminarii philologorum, quod *Rossbach* et *Wuensch* moderabantur, per duo semestria, seminarii philologorum, quod *Deubner, Rossbach, Wuensch* regebant, per unum annum, philosophici v. d. *Ach* et *Goedeckemeyer* moderantibus per sex menses sodalis fui. Ad exercitationes benigne me admiserunt archaeolo-

gicas *Rossbach* et *Wolters,* grammaticas *Tolkiehn,* palaeographicas *Seraphim,* philosophicas *Goedeckemeyer* et *Kowalewski,* hebraicas *Albert.*

Denique societati philologorum Regimontanae a *Ludovico Deubner* et *Ricardo Wuensch* institutae per sex menses interfui.

Omnibus viris doctis, qui studiis meis faverunt, inprimis *Ricardo Wuensch,* qui huius libelli conscribendi auctor me in dissertatione elaboranda opera et consilio adiuvare nunquam desiit, me, quoad vivo, gratias habiturum esse quam maximas affirmo et re si licet probabo.